



3 1761 08161156 8

Warner, Levinus  
De rebus Turcicis

DJ  
173  
W2A4  
1883



# LEVINI WARNERI

DE REBUS TURCICIS

EPISTOLAE INEDITAE.

---

EDIDIT

G. N. DU RIEU,

Bibliothecae Universitatis Lugduno-Batavae Praefectus.

---

LUGDUNI BATAVORUM.

E. J. BRILL.

1883.



# LEVINI WARNERI

DE REBUS TURCICIS

EPISTOLAE INEDITAE.

---

EDIDIT

G. N. DU RIEU,

Bibliothecae Universitatis Lugduno-Batavae Praefectus.

---

LUGDUNI BATAVORUM

E. J. BRILL.

1883.


27

173

W2A4

1883

Digitized by the Internet Archive  
in 2010 with funding from  
University of Toronto




VIRIS CLARISSIMIS DOCTISSIMIS  
AD LITTERARUM ORIENTALIUM  
STUDIA PROMOVENDA

M. SEPTEMBRI A. MDCCCLXXXIII

LEIDAE CONGREDIENTIBUS

ADVENTUM GRATULATUR

G. N. DU RIEU.





## PR A E F A T I O.

---

Quum inter doctos viros linguarum Orientalium studia colentes, qui anno 1881 Berolini convenerunt, quaestio moveretur in qua Musarum sede proximus haberetur consessus, Parisios multis studiose commendantibus, Leida nostra maiore suffragiorum numero praelata est. Cuius decreti nobis honorifici primaria causa mihi notum illud Levini Warneri legatum esse videtur, cuius beneficio non tantum ingens codicum Arabico-  
rum numerum in bibliothecam, cuius cura mihi hoc tempore est mandata, congestum esse gloriamur, sed virorum doctissimorum quoque studia promota esse constat, qui titulo Interpretis Legati Warneriani ornati, codicibus edendis et illustrandis quum sedulo operam navarent, gloriam Scholae illius litterarum Orientalium a Scaligero, Erpenio, Golio olim conditae et ex-cultae, latius propagarunt auxeruntque.

Legatum igitur, quo Warnerus Universitatis Lugduno-Batavae bibliothecam ditavit, omnium hominum fama, qui litteras Orientales amant, celebratum est, at qua vitae fortuna is usus sit, qui in longam annorum seriem tam praeclare illarum litterarum studiis prospexerit, plerisque ignotum est. Quod quum non sine rubore quodam confitendum esset, inquirere mihi proposui quidnam de ipso Warnero, praeter egregium illum manuscriptorum thesaurum, ad nos pervenisset.

Perlegi itaque paucas illas epistolas, quas Warnerus ab anno 1645 ad annum 1652 misit ad Maecenatem suum, virum consultissimum David de Wilhem, consiliarium Principis Auriaci, quaeque hodie in bibliotheca nostra servantur. Scripsit eas Warnerus Perae, in Constantinopolis suburbio, ubi Ordinum Confoederati Belgii per decennium fuit legatus, titulo Residentis ornatus. Has autem epistolas, antehac ineditas, evulgare decrevi, ut observantiae meae in viros Orientalibus litteris doctos publicum exstaret monumentum. Etsi enim illarum litterarum ipse rudis sum et ignarus, tamen quia Bibliothecae Leidensi, cui praefectus sum, e Warneri Codicibus haud parva gloria affulget, illorum studiorum laudem et honorem quantopere mihi cordi esset ostendere volui.

Quum autem editionem animo agitarem, mihi indagandum insuper esse videbam, num forte Residentis nostri aliae quoque litterae in tabulario publico, quod est Hagae Comitum, servarentur. Adii tabularii illius praefectum, virum consultissimum, qui, qua est insigni humanitate, statim me huius rei certiore fecit attulitque plus quam octoginta Warneri epistolas, omnes Latino sermone ipsius manu exaratas, praeterea paucas quasdam de re mercatoria ad Consilium Amstelodamense Dominorum, qui dirigebant res nauticas maris Mediterranei et mercaturam Levantis, datas inter annos 1657 et 1664. Quas quum omnes perlegissem et Codicum Warneri Arabicorum ne verbo quidem mentionem factam esse vidissem, ob magnam earum copiam ne consilium meum mutandum esset, metuere coeperam. Sed quum fieri posset, ut res Turcicae, quae in illis uberrime tractantur, aliis forte placerent, Viri clarissimi mihiq; amicissimi, qui huius Congressus Leidensis res quam maxime curant, me adhortati sunt ne a proposito meo desisterem, sed ut impensis publicis adiutus omnes ederem, ut sic Warnero existeret quaecumque novum monumentum, quod singulis Congressus sociis tanquam xenium offerretur.

Non licuit prae temporis angustiis longis adnotationibus or-

nare atque explicare ea, quae Warnerus in his epistolis retulit, et propter magnum epistolarum numerum, ea quae ad res mercatorias spectant, omittere visum est, quorum quum hic nullus locus sit, tum vero iis utilissima mihi videntur, qui mercium reditus et consulum nostrorum in Oriente emolumenta accuratius persequi volunt.

Praeterea adii fontem illum historiae Universitatis Lugduno-Batavae uberrimum, tabularium Curatorum, e quorum actis benignissime mihi commodatis pauca quaedam expromsi partim nova et ignota, quae ad Warneri vitam melius cognoscendam magnum afferunt adiumentum.

Quae itaque de Levino Warnero comperta habeo, haec sunt. Natus est anno 1619; nam die 19 mensis Maii anni 1638 Levini Warneri Lippiaci nomen relatum esse in Album nostrum Academicum legimus, vigesimum tunc annum agentis. Philosophiae studiosus inscriptus est honoris gratia, ut fieri solebat viris egregiis varias ob causas colendis. Habebat apud Eeckhout quendam, mihi hominem ignotum. Discipulus fuit summi Golii, cuius exemplum secutus paucis annis post in Orientem profectus est, ut illorum populorum linguas et mores accuratius cognosceret. Anno 1645 Warnerum iam Constantinopolin venisse apparet ex epistola, quam Georgius Andreas Richter, theologus Leidensis ad eum dedit die 24 Octobris, de morte Hugonis Grotii acute et de iis, quae Leidae acciderant, abunde scribens. Servatur epistola in fasciculo chartarum Warneri, Cod. Orient. N<sup>o</sup>. 381. Viaticum a Curatoribus ei attributum esse apparet ex illorum actis et die 8 Iunii anni 1648 iis visum est ad Warnerum scribere, domum iter verteret deque reversi eius munere academico decernere, quod in maius commodum Universitatis Viris amplissimis placeret. Quod decretum sine dubio eam ob causam factum est, quod Golius tunc aetate iam provector esset. Die 17 mensis eiusdem Curatores statuerunt Warnerum rogare, ut intra sex menses domum rediret, ut de officio eius, simulac reversus esset, decernerent in Academiae emolumentum.

Epistolam illam die 17 m. Augusti datam accepit demum ineunte mense Septembri anni sequentis; tamen nec tunc rediit, ut Curatores iusserant, nec postea umquam est reversus. Petiit enim a Viris amplissimis veniam diutius in Oriente degendi illam alias quoque Asiae urbes visurus, addens se confidere sibi veniam datum iri, cuius Golius, clarissimus eius praeceptor, spem ei fecerat. Ceteroquin grata mente agnovit Curatorum propensum erga se affectum, quod dignus esset existimatus munere Academico. Valde dolendum est Golii epistolas interiisse, nam nunc et multa alia latent, et hoc quam ob causam studiosus linguarum Orientalium in mercatorum castra transierit. Fieri potest ut rei quaerendae angendaeque cupiditas multum apud Warnerum valuerit, quam et olim viros doctos a litteris in diversas partes traxisse et hodie trahere saepius videmus. Constantinopoli autem et vivendum erat et medico, qui Warneri curaverat dysenteriam et ophthalmicos dolores suum honorarium solvendum. Iterum igitur urbis Leidensis magistratus suadente Golio viaticum illi decreverunt trecentosque florenos aureos ei submiserunt, confisi fore ut liberalitatis suae erga Warnerum fructus Academia aliquando uberrimos perciperet.

Vitam degebat Perae apud Nicolaum Ghisbrechti, qui titulo Residentis ornatus Domino Cops paucis annis antecesserat. Arabicae linguae illi interpretem Warnerum fuisse suspicor et mercatoribus ob idem munus, haud ignotum, nam quum die 10 m. Novembris a. 1654 Nicolaus Ghisbrechti obiisset, Warnerus supplex petiit ab Ordinibus, ut in defuncti locum Residens crearetur, quoniam Ghisbrechti consiliorum omnium particeps fuisset, mercatoresque sua gratia litteras missuros esse affirmavit. Nec petenti defuerunt Ordines Generales, qui die 30 m. Ianuarii anni 1655 statim subditorum protectionem, ut scribebant, Warnero commiserunt pro tempore, administrationem illius provinciae viro litterato mandantes.

Per decennium Batavorum in Oriente commodis consuluit resque mercatorias curavit non tantum, verum etiam longa serie



litterarum de rebus Turcicis tam domesticis quam bellicis certiores fecit Ordines, quibus illae tunc cum maxime cordi erant propter bellum quod contra Turcos prospere gerebant Veneti. Non apparet autem ex epistolis, mercatoresne nostri Venetis quodammodo opem tulerint, ut Turcorum erat opinio, qui vel naves Batavorum Venetae classi adesse contendebant; cuius rei rumorem Anglorum Legatus, Reipublicae nostrae nonnumquam inimicus, sparsisse videtur. Caute Warnerus rettulit ad Ordines quid Anglorum Gallorumque Residentes agerent, quidque Germanorum Hispanorumque Legatis in animo esse videretur. Accurate de rebus novis, quae in omnibus Imperii Osmanici partibus fiebant, perscripsit, incendia Constantinopolitana, turbas continuas et tumultus rettulit, praeterea res bellicas in Anatolia et praesertim in Transylvania gestas, insulam Tenedon a Venetis captam, Lemnon Turcis deditam, Cosacorum et Polonorum conatus, Persarum Indorumque legati quid vellent, nunciavit, Imperatorem denique et Veziros necatos, munera venalia, aliaque labefactati Imperii nec tamen collapsi indicia. Haec omnia cognita sunt ex Venetorum legatorum epistolis, sed quum illius reipublicae Residentis Adrianopoli aliquamdiu in custodia retineretur, Warneri epistolae ad hanc partem historiae Constantinopolitanae supplendam quodammodo valere possunt, quas a viro probo et veritatis studioso scriptas esse apparet. Tunesiani et Algerenses piratae, nostro tandem seculo sublatis, Residenti nostro interdum negotia exhibebant, nautas nostros quum ceperant et de more ad triremes damnaverant; quos Warnerus redimere solebat, quotiens triremes, in quibus detinebantur miseri captivi illi, Constantinopolin appulerunt.

Uxori nomen erat Cocone de Christoffe, ex qua liberos non suscepit. Vitam degit minime otiosam, ab aliorum populorum legatis, ut docent eius epistolae, in magno honore habitus. Prospexit Batavorum consulibus qui Tunesii, Aleppone et praesertim Smyrnae erant, cuius rei documento sunt mercatorum nostrorum testimonia nec non decreta Ordinum Generalium d. 7 Aug.

et 15 Dec. anni 1659 atque d. 24 Jan. anni 1660 atque d. 9 et 14 Dec. anni 1662, quae omnia hoc loco expromere non vacat. Denique totus erat Warnerus in Batavorum honore et commodis tuendis, utque res mercatorum, quorum cura ei fuerat commissa, promoveret, strenue defendebat pacta, quae Ordines olim cum Imperatore Turcico inierant, Capitulationes quae appellabantur, itaque praeclare meritis est de nostratibus, qui in Asia Mercurium patronum colebant.

Miime autem omnes nautas Batavo sub vexillo mare Mediterraneum navigantes probos homines fuisse docent Warneri epistolae; quo factum est ut saepius difficultatibus implicaretur in imperio Turcico, ubi nummi plus quam iustitia valebant. In gravissimas incidit molestias propter navem, cui Imperator Octavianus nomen, qua capta a Turcis Warnerus in foedissimum carcerem coniectus est et satis diu Adrianopoli in custodia retentus, dum pecunia a Turcorum magistratu exacta, solveretur a mercatoribus nostris Smyrnensibus. Sed praestat haec omnia, ad ius Turcicum cognoscendum utilia, legere in ipsis epistolis. Haud ita diu post iniuriam illam acceptam morbo oppressus est Warnerus, et paucis diebus post annum agens quadragesimum sextum obiit, 22 m. Iunii anni 1665.

Verbo commemorandus est Levini frater Fredericus, qui item Perae degebat et mercatoribus nostris haud ita ingratus fuisse videtur; nec tamen in fratris demortui locum successit, ut peterat, nam mense Octobri Ordines Residentem crearunt Dominum Joost Croock Amstelodamensem.

Antequam Levinus vita excessit, testamentum fecit coram Residente Gallico, Johanne Francisco Roboly, qui, ut consules solent, munere cancellarii vel notarii fungebatur. Servatur inter epistolas Warneri testamenti versio Italica et apographum Gallicum testibus sigilloque firmatum. Hoc publici iuris facere visum est quoniam non tantum utile est ad Lippiaci nostri res privatas moresque cognoscendas, verum etiam affirmat libros illius manuscriptos impressosque Bibliothecae Lugduo-Batavae legatos

esse, cui fuerunt per duo amplius secula insigne decus et ornamentum.

Superest ut unum locum ex testamento Warneri redarguam et explicem Christianissimi Regis Residens affirmavit eum fidei Catholicae addictum fuisse, quod tamen ideo non crediderim quia Warneri aetate in Batavorum Republica magistratus et honores publici, nisi Ecclesiam Reformatam sequentibus, mandari nulli poterant. Accedit quod Ordines Generales, qui res tam publicas quam divinas curabant, Verbi Divini ministros Conventibus Reformatis Perae et Smyrnae praeficere solebant. Gallicus igitur Legatus nihil aliud significavit nisi hoc, Warnerum fuisse probum hominem Christianum. De orthographia quam illius secretarius Richardus haud ita callebat, auribus, non etymologiae obtemperans, ut olim Gallorum mos erat, nihil dicam, nec illam corrigere lubet, quia praestat huius generis documenta integra typis mandare.

Extrait des Registres de la Chancellerie  
de monsieur Le Residant pour sa  
majeste Christianissime En Levant.

L'an mil six Cens soixante Cinq et le vintiesme Jour du mois de Juin apres midi mestant transporte mon secretaire de mons Le Residant de france a la maison de mons Leuino Varnero Residant pour Les tres haut et tres puissant estas generaux des provinces vnies dollande Estant bien sain de sans et Jugement deteneu au lit de maladie naturele Comme sachant que ne Luy a Rien plus assuree que La mort et Incertain que Lheure dicelle, Comme bon Catolique a Recomande son ame a son Createur pour La vouloir Recevoir. Lorsque partira de ce monde et la placer avec que Les anges et bien heureux a la gloire eternelle et pour sa sepulture La ou plaira a dieu Le prandre que soit honorable Comme sa Charge et dignite Le Requier. En premier Lieu a Legué et legue a madames Coccone de Cristoffe sa Chere famme e espouse La somme de quatre Cens piastres de Juste

poix et ce par dessus mille saquin que Luy a deia donne Comptant En or quelle prandra apres Le Jour de son deces sur les mubles qu'il se treuucront a la maison plus a damoyselle anette gisberte fille de feu nicolle gisberti a son vivant Residant pour Les mesmes estat tout ce que luy a desia donne soit En argent que autres. Et par dessus Lui sera restitue tout ce que son feu pere Luy a Laisse Comme apert par Linuantere Riere La Chancellerie recomandant Ladite anette a Les executeurs de son dit testament que seront nommes cy apres et Les suplie de La prandre a son soing et garde Comme sa propre seur et particulierement a Sr. françois de brosse L'un diceux et son se-craitere. Plusque ses seruiteurs soient payes detous Leurs arrerages a eux deub suivant cequon Luy a acorde. Plus au Sr. françois de brosse son se-craitere quatre Cens piastres de Justes pois et ce pour Les ser-uices que Luy a rendu pendant que a demure a sa maison que Luy seront payee Le jour apres son deces soit En argent ou mubles ala volonte des executeurs dudit testament. Plus au docteur merselin son medecin pour Les soing et paines qua pris pendant sa maladie La somme de Cinquante piastre de poix que Ley seront ausy payees apres le Jour de son deces. Plus au Sr henry son appoticaire deux vestes de drap. Plus a son drogoman ausy une veste drap. Plus a andre Le fils de seigr Siprian une autre veste drap Et generalement La Liberte atous Les Esclaves tant homme que femme sans que personne Les puisse plus Inquier et serons Entretenus asa maison et a ces depans Iusques ace quon Luy aye donne La vertu suivant que Iugeront a propos Lesdits executeurs du presant testament Et Encore quelque recompance a sa volonte et suivant son merite et au plus grand Esclave Cent piastre pour Le faire estudier Et y donner La vertu. Plus a demitraquy Lun de ses drogomans une veste de drap. Plus sera Donne deux Cens piastres de poix que seront Donnees pour Le Rachept de povres Es claves que se treuvent a presant Entre Les mains du grand seigr. Pour les Escriptions de La Chanselerie scau et Cappitulations seront et demureront Entre Les mains dudit sr de brosse son se-craitere, Iusques ace que vienne ordre des Estas dollande ou que Les marchands de Ladite nation treuueront a propos. Pour ses papiers tant manuscrit que Livres et autres demureront a sondit se-craitere Pour les Envoyer a LaCademie de Leyde En ollande. tous ses debtes seront payes exatement Cens que aucuns aient Lieu de



plainte Le tout par ses dits executeurs du testament. Plus a artin Lun de ses drogomans unne veste drap. Plus audit sr de broso son secretaire Luy a Consigne on diemant appartenant a Ladite annette fille du feu sr Residant. Plus Le Tiers de toute son arganterie Consistant En vaisselle La Laigüe et donne a sadite femme Cocone et pour Le restant de tous ces autres biens mubles Inmubles argent biens et facultes En quoy quy Consiste et puissent Consiste En a nomme desa propre bouche Les seuls heritiers Le sr federic son frere et ses seurs quy se treuvent de presant En vie egallemant tant Lun que lautre Cens que personne Les En puissent Anquetter ny ampecher de sa Loissance. et pour executeurs de sont presant testament a nomme Les srs guilheriny heitt marchand anglois, barthelemy greasque marchand francois et sr francois de brosse son dit secrā Cens que aucuns autre sans puissent mesler En aucune fasson queseoit Les priant Le seruiet En Cest affaire Jusque ace que Cesdits parants En puissent retirer sondit heritage et de tous ses dits facultes Et heritage Ensera fait Inuantaire que seras mis riere La Chansellerie. fait ala maison dabitacion dudit sr Residant presant srs Jacques fabre marchand françois, barthelemy dannet Et Jean bernard mres appoticaire Iean antoine timon docteur En medecine, Iean bapte fornetti Interpretre de france. Iean Leuers Et pol Chabert temoins requis et signes avec Le dit sr residant a Loriginel

Colatione par moy sur son original

Richarde Secraire.

Nous Jean françois Roboly Conr du Roy Et residant poursa maieste tres crestienne En Levant Certiffions a tous quil appartiendra que Le dessus nomme et signe Sr Jacques Richard que a pris et signe Le present testemant est nostre secretaire aux escripture et signature plain et Entiere foy Et aioustee tant En Jugement que dehors En temoins daquoy nous avons signes Les presantes et fait opposer Le seil de nos armes a pera Les Constantinople ce dix Iuillet mil six Cens soixante Cinq

J. F. Roboly.

(Locus Sigilli.)

Warneri legatum Curatoribus Universitatis nostrae admodum gratum fuisse, non est quod dicam. Cuius insignis doni munerisque certiores facti, quum audivissent libros iam Constantino-  
poli Smyrnam esse transmissos, Consulem nostrum Dominum Smit die 18 m. Maii a. 1666 rogarunt ut libros illos quam primum Venetiam mercatori Batavo Dominio Druyvesteyn aut consuli nostro Livornensi mittendos curaret. Anno sequente ob metum bellicum ad eundem consulem iterum dederunt litteras, quibus iubebatur libros retinere usque ad adventum Domini van Dam, qui ei successor datus erat, id unice agentes, ut quam tutissime Warneri libri Leidam deferrentur. Quum tandem ineunte mense Decembri a. 1668 thesaurus ex Asia Amstelodamum advectus esset, Curatores librorum catalogi conficiendi curam mandarunt Theodoro Petreio Amstelodamensi, summus enim Golius, Warneri praeceptor, e vivis tunc iam excesserat. Catalogum Codicum nostrorum Orientalium ab aliis deinceps Professoribus Leidensibus per longam annorum seriem auctum et emendatum esse vix opus est monere.

Hoc autem qualecumque Levini Warneri monumentum effigie eius ornare volueram, sed non exstat tabula nec picta nec incisa, quae praeclari viri imaginem nobis repraesentat. Quae quum ita sint, his epistolis ex archivis depromendis edendisque contentus esse debebam.

Scrpsi mense Iulio, a. 1883.

G. N. DU RIEU.

---

EPISTOLAE WARNERI,

quae continentur hoc volumine, servantur

in Bibliotheca Universitatis Lugduno-Batavae, Catal. XVIII. Lat. No. 293

A. Ep. 1—3, 6—10.

in Tabulario Civico Leidensi Ep. 4.

in Tabulario Curatorum Universitatis Lugduno-Batavae Ep. 5.

in Tabulario Publico Hagae Comitum Ep. 11 et quae sequuntur.

---

---

Quid faceres si in Oriente ageres? Non merces, inde quas vita magni facit inveheres, non magni aestimandas nisi illis qui κερδάω Mercurio student. Tu qui λόγιον colis, totas opes linguae illius regionis in has oras migrare iuberis. Cum Persicis etiam Arabica mercimonia in Europam importares, et spoliis Orientis onustus ad nos redires. Opto igitur ut propediem hoc possis, et destinatum in hunc finem iter, felix faustumque tibi procedere ex animo voveo et precor.

Cl. Salmasius in Epistola dedicatoria, Leydae IX Augusti CIOIIOCLIV ad Levini Warneri Proverbiorum et Sententiarum Persicarum Centuria. Lugd. Bat. 1644. 4°.

---

Quo modo singulos codices nactus sit Warnerus declarare non possum, nam nihil hac de re annotatum reperi. Optime autem de nostra Bibliotheca et de litteris Orientalibus meritis est vir ille pie semper colendus, qui omnes Codices suos, Orientales Bibliothecae Lugduno-Batavae reliquit.

R. P. A. Dozy, Catal. Codic. Oriental. Biblioth. Acad. Lugd.-Bat. Vol. I. 1851. Praef. p. XVI.

---

## I.

Nobilissime, Amplissimeque vir.

Diuturnum Amicorum silentium angit me et cruciat non parum. Scribo saepissime, responsum accipio nullum: quae causa sit tantae morae exputare non possum. Obstant multum belli iniuriae: scio. turbatae sunt viae: scio. intercipiuntur saepe literae: et hoc scio; tamen cum alios videam non tam de intermisso quam interrupto nonnunquam literarum commercio queri, vix est, ut aliud suspicari possim, quam exiguam mei apud amicos superesse memoriam; neque enim illud Deus sinat, ut planè iis in oblivionem venerim. Tu Nobilissime Domine, qui constanter amare soles, quos favore tuo es complexus, quique nosti gravissimas esse condiciones غريبت, semper spero Tui eris similis, et devotissimum virtutum tuarum cultorem literis aliquando solari non gravaberis: quas quidem ubi exoculari datum fuerit, magno me dolore levatum putabo, quo nunc, verè dico, opprimor, ut tempus longum videatur Constantinopoli (nam tantò longius omne quantò infelicius tempus) literas enim, in quibus solis felicitatem meam repono, non licet tractare ut libet. Centenos quos accepi imperiales suo jure quasi sibi vendicavit medicus, ut expelleret gravem dysenteriae morbum, et ophthalmicis mederetur doloribus. Nulli nunc nummi, quos in magistros impendam, quibus libros comparem, planè ut non videam quomodo Tuae, Magne patronae, aliorumque expectationi sim satisfactorus, nisi brevi huic meae succurratur inopiae. Aliquid quidem vel afflictis etiam rebus praestitisse videor, dum obscuriores aliquot Persicae linguae Authores percurri, dum varia Karaitarum scripta evolvi, dum Graecorum Armenorumque ritus et ceremonias Ecclesiasticas pervidi: sed in hoc singularem expertus sum fortunae benignitatem, qua nunc, ut nulla perpetua sunt bona, gaudere amplius non licet. Libros quippe quibus mutuo concessis utebar, aliò transportavit possessor, amici, qui nummos commodabant, discedunt et sua repetunt. Ut quid consilii sim capturus in posterum, quomodove studia promoturus, minimè habeam exploratum. Non despero tamen meliorem successum (certa quadam permotus animi divinatione) dummodo Tua fruam benevolentia; nullus enim dubito, quin studia mea literarum patronis sedulo sis commendaturus. Fama nuper fuit, venturum huc Legatum Hispanicum. Venit

quidam, nescio quo titulo dignus, non Legati certè, qui cum nemine alio quam cum Rege communicare voluit secreta. Cum admissus esset, certam nominavit insulam, quam Hispanici jugi impatientem Turcis se velle dedere confirmavit. Auctor proinde fuit, ut pararent exercitum et rectà ad opulentam possessionem contenderent. Sed quis credat adèò ineptum fuisse hominem, ut ne minimam quidem mendacio potuerit fidem facere. Insula enim, quam dixit, ne Utopiae quidem scriptori unquam fuit cognita. Igitur Turcae, cum tabulis geographicis diligenter inspectis, nullum tale nomen reperissent, hominis mentis malè sanae primò vincula injeecerunt, post eum ad triremes damnarunt. Plura non sinit temporis angustia. Vale, — Magne Fautor et me studiaque tibi commendata habe.

Amplitudini Tuae devotissimus

Constantinopili. Anno 1645, 2 decembr.

Levinus Warnerus.

Litterae Constantinopilin mittendae curabuntur a Dno Schut, mercatore Amsterodamensi, si alia non pateat via. Magni Dni Hugonii affectum ut magis magisque mihi concilies summopere rogo.

A Monsieur Mons. David de Wilm Conslier de son Altesse a

La Haye.

---

## II.

Vir Nobilissime.

Toties ad te scripsi, ut verba illa familiaria, quibus obsequium meum ac officiorum pietatem probare sum solitus, fere omnia consumpserim: nihil ergo nunc praeter nova, quae et ipsa sterili hac hyeme, pauca occurere, aestas foecundior sine dubio plura pariet. Classis Turcica constans viginti triremibus et duabus navibus bellicis 22 April. solvit Constantinopoli, milites erant valde crudi et imbelles, siquidem contra morem collecti fuerunt ex agresti luxuria, rusticis mendiculis et desperatis bajulis, sed quod virtuti deest, numero pensari existimatur. Reliquias Candiae facili negotio se expugnatos praesumunt Turcae, nisi majori virtute dimicaturi deinceps sint Christiani quam superiori tempore sit factum; tunc enim solam famam gentis Ottomanicae bellum confecisse superbi jactant; cum vano tantum ac inani clamore adeo perterritos perturbatosque fuisse milites Christianos dicant, ut alii arma abiecerint, alii sclopeta exonerantes non hostem sed aethera petierint;



unde nata est impia illa vox inter Turcas, Christianos contra ipsum Deum tunc temporis pugnasse, eumque de throno suo deturbare voluisse. A Cosacis, qui Pontum Euxinum saepius infestare solent, valde sibi nunc metuunt Turcae, auget timorem concepta opinio de gentis illius fortitudine. Etenim communis vox circumfertur Constantinopoli, adeo pugna animal esse Cosacum, ut si brachium ei fortè in praelio praecidatur, denuò illud tollat, et in hostem minimè defunctorio impetu torqueat; si utroque brachio careat, irato pede occurrentem elidat; si pedibus sit truncatus, serrato morsu inimicum vexet. Milites illi qui cum Charle van Dijck huc venerunt et religionem Turcicam vol[entes] nolentes sunt amplexi, jam ferè omnes aufugerunt; qui hactenus remanserunt et ipsi vias circumspiciunt, quibus pristinae libertati restituantur, hinc Turcae in religionis negotio comparare eos solent cani, qui invitus debeat lepores capere. Ipse dominus Charle van Dijck hactenus stabilem pedem figet; Turcae eum magna spe implent et blandè tractant, is securus quoque fidem habet, et minimè intelligit eos agere more latronum illorum, quos philetas Aegyptii vocabant, qui in hoc amplectuntur, ut strangulent. Magnus Vezir nuper Residenti Imperatoris German. remisit decem mille thaleros de quindecim millibus, quos pro peracto facinore solvendos imperârat. Necem trucidati Hispanis gratam esse nunciatur. Literae aliquot eius sunt inventae sigillo Regis Hispan. obsignatae, quae hunc praeferrent titulum: Don Juan Menesses de Castro, Eques Ordinis S. Jacobi, Gubernator et Generalis Provinciarum Popaiano et Pasto in India Occidentali. Sed haec hactenus. Consuluerunt mihi viri auctoritates graves, ut ad Celsissimum Principem Auracum et Illustriss. Ordines nova quae hic occurrunt perscriberem, ne post obitum Domini Copsii ea ignorarent; secutus sum consilium, quamvis id difficulter a verecundia mea impetrarim; si quid erroris commiserim, ab humanitate Tua excusari cupio. De rebus meis plus quam afflictis scripsi nuper, et certè quò me vertere debeam nescio, nisi brevi mihi subveniatur; nam si Legatus Anglicus discedat, quod fortassis propediem fiet et Dnus Copsius sit mortuus, restabit nemo, in quo mihi aliquid perfugii sit positum. Facta mihi aliquando fuit spes, impetratum mihi aliquid iri ab Illustriss. Dnis Ordinibus. Non diffidam, si Amplitudo Tua verbulo negotium meum commendare tanti putaverit.

Magnarum virtutum Tuarum cultor devotissimus  
Constantinopoli. Anno 1647, die 6 Maji. Levinus Warnerus.

Nobilissimo Amplissimoque Viro Dno David de Willem. Fautori ac patrono suo colendo. Hagam.

## III.

Nobilissime Domine.

Cum nihil unquam responsi acceperim ad literas meas quas dedi creberrimas, suspicari possem, nullam mei apud Amplitudinem Vestram superesse memoriam, nisi amici, inter quos Dnus Golius, amorem ac benevolentiam vestram mihi confirmarent: qua fiducia fretus literis meis iterum obstrepere audeo, quod credam non ingratum esse, si quae hic occurrunt nova, perscribam. Ingens nunc est Constantinopoli rerum omnium varietas; ut mensis aevum existimetur, si vices rerum putentur. Rex 8 August. de throno suo deturbatus in carcere latitat. Magnus Vezir quoque crudeliter est occisus, cujus sanguinem multi pro ultione hauserunt, eo satiari cupientes, quod ipse innocentissimi sanguinis ante insatiabilis fuisset. Causa quare insurrexerint contra Regem haec est; quod in Regno omnia sursum ac deorsum irent, omnia essent soluta, turbata atque etiam in contrarium versa, cum nec Rex imperii curas capesseret, nec Vezir publicis utilitatibus invigilaret. Etenim Rex tantum pellicibus suis vacabat, quascunque congerebat opes inter eas distribuebat, dies noctesque cum illis consumebat, saepe etiam nudus ludebat, ipso Sardanapolo effeminior. His adhibebat scurras, moriones, histriones, delectabat si quid petulans a scurra, stultum a morione, ineptum ab histrione proferretur. Vezir ut haberet, quo Regis aviditatem expleret (nam nisi continuis muneribus ipsum placaret, vitae periculum instabat) per fas et nefas omnia corradebat, quos sciret esse divites opibus exuebat, et aedes in quibus multos nummos vel pretiosas gemmas asservari crederet, diripiebat. Nec hic stetit iniquitas eius, sed triginta satrapis, quos illi Beglerbeg vocant, vitam ademit, ut defunctorum opes invaderet, et munia illa aliis iterum care venderet. Christiani quoque, et inter eos Angli, satis ingemuerunt malis quae ab illo sunt passi, dum continuis eius extorsionibus ferè omnes ad paupertatem sunt redacti; quae causa fuit, quod nuper luculentum ignem eumque omnium oculis expositum in navibus suis excitarent, quo monstrare voluerunt, se iniuria affectos ad Regem confugere, ab eoque ius suum petere; mos enim hic est, ut oppressi qui Regis patrociniū quaerant in conspectu eius stoream comburant, sicut in Persia obtinet, ut qui in tali sunt statu, chartacea veste induantur. Ut igitur augescentibus hisce vitiis occurreretur, Mufti milites adesse iubet, eisque quid facto opus sit, indicat; qui eo promptius mandato parent, quod stipendia ipsis diu non essent persoluta. Vocatur postea Vezir, sed non se sistit; salutis suae consulere volens ad Regem confugit, qui et primò illum defendit, post



cognito militum furore, eum trucidatum in plateam abiici iubet. Postero die Mufti literas mittat ad Regem, quibus petit ut examini se sistat, et rationem reddat, qua fronte leges et statuta Regni infringere audeat. Rex irā commotus literas illas pedibus calcat, et Aulicos suos, quorum numerus usque ad viginti mille excrevit, arma sumere iubet: quo intellecto Mufti publico edicto sancit, omnes qui Regi in causa iniusta auxiliantur, Lege divina infideles declarari: tum illi singula eius verba singula oracula putantes, ab incepto desistunt, obedientiam pollicentur et praestant. Sic Mufti cum militibus palatium ingreditur, et Regem graviter reprehensum in carcerem ire iubet: post filium Regis nomine Muhamed, qui iam septimum agit annum, Regem salutat, et praelectis pro more Regni statutis, frontem eius osculatur, osculantur docti manicam, Vezirii laciniam, populus terram; omnes publico gaudio litantes et vota nuncupantes pro salute Regis et Imperii aeternitate. Quibus omnibus peractis, nunciatur Regem patrem in carcere 18 August. occisum esse a carnifice eodemque die sepultum. Haec hactenus. De rebus meis privatis scripsi nuper, nunc non repeto. Omnino spero Nobilissimum Dominum spes meas et ultimos conatus non destitutum. Fortassis intercessione Vestra interposita ab Illustriss. ac Potentiss. D. Ordinibus munusculum aliquod impetrari posset, quo libros, quos dum hic fui rarissimos notavi, in usus publicos compararem. Illustri Domino Hugenio ut has literas inclusas mittat meque gratiae eius insinuet, etiam atque etiam rogo. Vale Vir Nobilissime mihique favere perge.

Amplitudini Vestrae devotissimus

Constantinopoli. Anno 1648, 29 August.

L. Warnerus.

Aen Myn Heer Myn Heer David de Willem Raedts Heer van syn Hoocheyt In Schrauen Haga.

---

#### IV.

Nobilissimi, Amplissimi Spectatissimique Domini.

Superioribus literis gratias egi pro extraordinario illo munere, quod Liberalitati Vestrae in me conferre placuit; nec praesentium aliud foret argumentum, nisi magis ad rem pertinere arbitrarer ut quae hic occurrunt nova perscribam, quam ut pro tanto dono tam vili munere orationis

defungar, cum quicquid dicam minus sit, et beneficia Vestra id longe exuperent. Ingens nunc est cet. — eodemque die sepultum <sup>1)</sup>). Sed hæc hactenus. Valetè Magni Patroni et favere pergite.

Illustrium Virtutum Vestrarum devotissimo cultori  
Constantinopoli. Anno 1648, August. 29.      Levino Warnero.

Aen Mijn Heeren Myn Heeren Burchemesters der stad Leyden In  
Leyden.

---

1) Sunt eadem quæ in epistola superiori scripserat ad dominum de Willem.

---

V.

Nobilissimi, Amplissimi, Spectatissimique Domini.

Desinetis mirari diuturnum silentium meum, si intelligatis Literas vestras post anni spatium demum ad manus meas pervenisse Residente Belgicæ teste, qui eas mihi exhibuit, nimirum ea nunc est temporum conditio, ut literæ ultro citroque libere commeari nequeant, cum ob tumultus bellicos impeditæ ac interclusæ sint viæ. Excusatiorem proinde me futurum spero quod credam, eam quam tempora sustinent culpam, Nobilissimos Dominos mihi imputare nolle. Caeterum grata mente agnosco propensum Vestrum affectum; quod dignum me existimaretis, cui munus in Academia vestra demandare volueritis: dabo operam et pro viribus annitar, ut expectationi Vestrae satisfaciam, et spei quam de me suscepistis, respondeam. Unum hoc, si fieri possit, ab Amplitudinibus vestris impetratum velim, ut Halebum, Damascum, aliaque Orientis loca ante perlustrare liceat, quam redeam; magnum enim fructum percipiam, si ea quæ hactenus legi, audivi, observavi ipsis oculis in istis locis inspiciam. Audacius hoc rogo, quod Cl. Dnus Golius mihi scripserit, si tale quid orem, haud difficulter me exoraturum. Sed et nunc Nobilissimi Domini, etiamsi maxime velim recta statim venire, minime tamen id facere queam, cum quod viæ vel non pateant, vel mille periculis sint repletæ, tum quod media in itinere necessaria nulla suppetant. Spero itaque et omnino confido paratior mihi futuram veniam, cum non culpa mea sit moræ causa, sed necessitas, cui parendum, eam imponat. Quod reliquum est, Deum supplex veneror, ut Nobilissimos Amplissimos

Spectatissimosque Dominos Ecclesiae, Reip. et rei literariae bono diu salvos  
ac incolumes conservet.

Illustrium Virtutum Vestrarum Cultor devotissimus  
Constantinopoli. Anno 1649, 9 Septembr. Levinus Warnerus.

Aen de E. Edele Heeren de Heeren Curateurs en Burgemeesteren der  
Stadt Leyden.

---

## VI.

Vir Nobilissime, Patrone observande.

Ante mensem nova, quae tunc temporis occurrebant, nota feci; nunc quid geratur, praesentibus perscribo. Praeteritis hisce diebus Equites contra Vezirum insurgentes, multas turbas dederunt, eò quod in bellum juberentur ire, et per multos menses stipendia illis non essent soluta; nunc cum satisfactum iis sit, iterum sunt placati, paratique qui mandata capessant, sed ea occasione ut Vezir unà proficiscatur, siquidem more receptum sit, ut si ipse non eat, illi etiam non se moveant. Jenitseri quoque quantum maximè possunt, bellum subterfugiunt, et in praefectos suos certatim munera conferunt, ut alios substituunt (qui crudi plerunque et rei bellici imperiti esse solent) ipsisque domi liceat manere. Nimirum prisca fortitudo Ottomanica nunc valde est rara, quod plerique deliciis assueti perpetuam luxuriam diffuant; qua in re multitudine exemplis peccat, quod ipse Vezir, Jenitser agà, Capudan Pascha aliique magnates vino semper indulgeant. Bagdadi magnae exortae sunt seditiones inter Turcas, adeò ut mutuis gladiis ipsi se conficiant: Persae utentes occasione dicuntur toti in eo esse, ut dictam urbem obsidione cingant: unde Jenitseris Bagdadensibus, qui hinc inde discurrebant mercaturam exercentes, in mandatis datum, ut omni amputatam moram Bagdadum se conferant. Constantinopoli quoque ante triduum sex mille Jenitseri illuc fuerunt missi. Legatus Turcicus, qui cum Internuntio Imperatoris Vienne mittabatur, intra paucos dies hic exspectatur: scripsit ad Vezirum valde extollens et praedicans humanitatis officia et beneficia, quae illic est expertus. Quae causa est, quod Vezir nunc Residentem Caesareum valde amicum tractet, et domesticos sumptus nummosque ordinarios, qui antehac vel retenti fuerunt, vel magna cum difficultate obtenti, ultrò solvat. Turcae enim praeter ea, quae ad victum et familiam sustentandam pertinent, certam summam pecuniae singulis mensibus Residenti Imperatoris, vel Legato, si quis huc mittatur, ex pacto pendere tenen-

tur; quemadmodum et Turcarum Legatis, qui Viennam adeunt, pendi solet. Cum autem antehac Turcae millies licet sollicitati admodum difficiles se praeberent in solvendis illis quae ex pacto deberent, dictum nuper fuit Imperatori, cum Legatus Turcicus Viennae esset, Turcis quoque non ita promptè in omnibus esse obsecundandum, ne liberalitate Imperatoris abuterentur, sed eodem modo esse excipiendos, quo illi Imperatoris vel Legatos vel Residentes Constantinopoli exciperent; ad quod Imperator his verbis respondisse fertur: si illi barbarè et inciviliter agunt, nobis ideò non licet humanitatis nostrae oblivisci. Legatus Imperatoris Dnus Smid, idem qui nuper hic internuntius, nunc Baro creatus, intra quinque menses hic expectatur: quo tempore de novo pax ad viginti usque duos annos stabilietur. Turcae de iure suo quod antehac praetendebant in exigenda ingenti summa pecuniae ab Imperatore, nunc decedunt, cùm quod bellis sint impliciti, tum quod pacem in Germania esse factam (ideoque magis metuendum Imperatorem) cognoverint. Legatus Hispaniae avide à Turcis expectatur. Vezir hisce diebus ex Residente Imperatoris quaesirit, num certi quid de adventu eius haberet, is respondit ex literis Viennâ scriptis, venire aliquem duobus tantum comitatum servis, qui inquirat an Turcicus ille Legatus qui in Hispania fuit, publico Regis mandato fuerit missus, quo cognito deliberaturos esse Hispanos quid de singulis, quae à Turca fuerunt proposita, sit statuendum. Legatus Galliae hic expectabatur novus, is qui aliquandiu in Polonia fuit; nunc verò ante quatrimum praesens Legatus literas à Rege accepit, quibus per triennium adhuc hic commorari iubetur. Vale Vir Amplissime, mihique favere perge.

Amplitudini Tuae devotissimus

Constantinopoli. Anno 1650, 24 Martii.

Levinus Warnerus.

## VII.

Nobilissime Domine, Patrone observande.

Nova superiorum temporum antehac fusè perscripsi; nunc brevior sum, quia parum occurrit, quod scribi mereatur. Veneti cum quindecim navibus hic dicuntur in viciniam esse, et hoc agere, ut viam intercludant Turcis, quò minus liceat exire cum triremibus, quas nunc quadraginta tantum paratas habent; sed parum spei est, quod operae pretium aliquod sint facturi, vel praeclarius rem gesturi, quam supe-



riori tempore fuit factum, eò quod vel animus pugnandi desit, vel ob nimiam luxuriam bellum negligentius tractent; siquidem naucleri sive Belgici sive Angliei qui in via illis obviam veniunt, hic narrant, eos semper genio indulgere, ludis et jocis tempus conterere; et facile dictis fides adhibenda, quod videamus multas naves Turcicas bene onustas sive ex Aegypto sive aliis ex locis huc venire, quas facile negotio, si parum ad rem attenderent, capere possent, sicut Turcae qui cum illis veniunt, ipsi testantur. Praenuntius Hispanicus superiori mense venit Constantinopolin, quatuor comitatus servis: adventus eius Turcis fuit gratissimus. Literae quae de conditionibus mutui amicitiae foederis agunt, iam ipsi sunt traditae ad Regem Hispaniae perferendae: simulatque in Hispaniam redierit, Legatus inde, ut dicunt, veniet, qui hic sedem figat. Pax cum Hispanis desideratissima est Turcis; evehunt extolluntque valde Hispaniae Regem, et communiter dicunt, tres esse Reges, qui verè magni Reges sint appellandi, Indiae scilicet, Turciae et Hispaniae. Primus qui de hac pace tractare coepit, ut secreto narratur, fuit Internuntius Caesareus, qui superiori aestate hic erat. Caïro nuntiatur, Pascham ibi Magnatibus aliis in consilium adhibitibus, decrevisse, reditus illos qui annuatim Constantinopolin mitti solent, nimirum sexies centum mille aureos (tantundem Meccam et Medinam singulis annis inde mittitur, tantundem et inter milites ibi distribuitur) detinendos esse, donec Rex adoleverit, quia Ministri publici, quibus hic agere nunc licet, quod libet, neglectâ aerarii curâ, in proprios usus omnia studeant convertere. Haec hactenus. Vale vir Amplissime, mihi que favere perge. Viri Illustris Dni Hugenii gratiam ut mihi conservet, obnixè rogo.

Amplitudini Tuae devotissimus

Constantinopoli. Anno 1650, 22 April.

Levinus Warnerus.

Aen MijnHeer Mijnheer David De Willem Raetsheer van Sijn Hoochheijtt. In 's GravenHage.

---

### VIII.

Nobilissime, Amplissimeque Domine.

Cum nullam occasionem praetermittam, quin ea quae in hisce locis geruntur, perscribam, nihil magis in votis habeo, quam ut aequè gratæ sint literae meae atque libenter ego eas scribo: steriles quidem ple-

runque sunt ac inanes, verum non inde hoc fit, quod in scrutando operam aliquam subterfugiam, sed quod parum occurat, quod scribi mereatur. Classi Turcae, quae nunc constat ex quadraginta septem triremibus, via exeundi interclusa est à Venetis, qui cum quindecim navibus et duodecim triremibus Turcis se opponunt ad duo castella, quae sunt munita Constantinopolis, quorum alterum tormentis bellicis perpetuo verberant, et iam magnam eius partem sunt demoliti. Navarchus Turcius decreverat omnino depugnare, ideoque tanquam mortem aditurus mancipia sua manumisit, uxoriq; suae donarium, quod cum matrimonium iniretur, promissum fuit, solvit: Turcae enim cum uxorem ducunt, certam summam pecuniae ei promittunt, quam solvunt, cum vel divortium cum ea faciunt, quò nihil apud illos est frequentius, vel cum diem suum obeunt. Verum cum viribus minime essent pares Turcae, Vezir haud voluit concedere ut confligerent, ideoque Navarchum, qui retineri non poterat, quin pugnaret, ab officio deposuit. Nunc ea consilia agitant, ut cuiuscunque generis naves, naviculas, cymbas exercitu impleant et multitudine militum rectà Venetorum naves adoriantur. Unum hoc difficile illis, quod milites coacti eant, et inviti pugnent, eò quod stipendia multis non solvantur; unde etiam seditio exorta est in exercitu, dum ii qui stipendium deposcunt, altercantur cum illis, quibus id fuit datum: magna cum difficultate sedatus fuit tumultus, cum iam ducenti ferè homines cecidissent. Ante quatrimum nuntius Turcius hinc amandatus fuit ad Consules Venetos, qui in diversis locis Orientis morantur, ut sine ulla mora Constantinopolin veniant; simulatque venerint, Legatus Venetus unà cum illis Venetias, ut rumor est, mittetur; verum sine dubio eò haec facit Vezir, ut de novo nummos extorqueat; sicut non ita pridem cum Legatum iuberet paratum esse, ut intra mensem cum universa familia hinc migraret, manendi licentia nummis facilè obtenta fuit. Ante duas septimanas Anglus quidam nomine Heide huc venit cum literis ad Regem et Vezirum, Legatum se esse dicens à novo Rege Angliae missum. Alter Legatus qui hic est, sese opponit, contendens nullum iam esse Angliae Regem, ideoque frustra eum praetendere se à Rege esse missum. Munera in Vezirum certatim congerunt, quandoquidem munia omnia nummis hic sunt venalia. Vezir nihildum decrevit, nec brevi decernet, ne emolumentum quod singulis diebus inde accrescit, sibi praecidat: tandem qui amplius non habebit, quod det, vacuus ac inanis dimittetur: sicut ante biennium et quod excurrit, cum Ordinarius Legatus Anglicus novo Legato qui tunc temporis veniebat, cedere nollet, inusitata summa pecuniae, ut lis decideretur, in Turcas conferebatur; post cum veteri Legato amplius non suppeteret, quod daret, abreptus ex aedibus cijmbae imponebatur,

et nullo comitatus famulo hinc abducebatur. Dicitur non potest quanta emolumenta ex perpetuis hisce Christianorum dissidiis ad Turcas, qui gaudent semper inter duos litigantes, redundant. Similiter quoque superiori septimana Graecus aliquis magnae auctoritatis vir et multis suffultus amicis, Patriarchan voluit de throno deturbare, Patriarcha ut locum tueretur, triginta mille Imperiales Veziro dare necesse habuit. Nimirum, videmus nunc Constantinopolin tanquam locum, in quo nihil aliud est nisi cadavera quae lacerantur, aut corvi qui lacerant. Vale Vir Amplissime, mihi que favere perge. Quod saepius rogavi, spero Amplitudinem Tuam pro humanitate sua curaturam.

Amplitudini Tuae devotissimus

Constantinopoli. Anno 1650, 6 Junii.

Levinus Warnerus.

Aen MijneHeer Mijneheer David de Willem Raetsheer van sijn Hoogheyt  
In S' Hage.

---

IX.

Nobilissime Domine, Fautor ac Patrone observande.

Praesens harum lator amplissimus fuit mercator in hisce locis, amicus meus singularis, omnibusque cum Christianis tum Turcis propter vitae integritatem, et in rebus agendis prudentiam gratissimus. Juvenis quoque qui illi adest propter raram virtutem uniuscuiusque favorem meretur ac benevolentiam, quâ ut Amplitudo Tua utrumque prosequatur, et consilio, ubi opus erit, juvet, etiam atque etiam rogo. Nova quae hic occurrunt, aliâ magis compendiosâ via transcripsi. Vale Magne Fautor et amare perge. Spero atque confido tandem aliquando Amplissimum Dnum mei futurum memorem.

Amplitudini Tuae devotissimus

Constantinopoli. Anno 1652, 18 Septembr.

Levinus Warnerus.

Si Amplitudo Tua amico huic apud Maiores ac Proceres viam colloquendi velit patefacere, multa intelligent de rebus communibus Turcarum et privatis Christianorum Francorum, quae non ingrata erunt futura, quia accuratissimus semper omnium rerum fuit indagator.

Aen mijnHeer Mijneheer David de Willem In S' Hage.

## X.

Amplissime Domine, cum me totum Amplitudini Tuae committam, liberè haec expromere audeo: si opera mea in perscribendis novis cognoscatur non ingrata futura Illustrissimis ac Potentissimis D. D. Ordinibus, sperem Illustris Dni Hugonii ac Amplitudinis Tuae auctoritate effici posse, ut gratiam Illorum in hisce locis liceat experiri. Hac ratione et studiis meis, quae Vobis dicata sunt et consecrata, praeclarè consultrm foret, in conquirendis multis raris quae Oriens habet, et occasio praeberetur, qua et rerum politicarum gnarus evaderem. Sed tum hoc gratiae apponi velim ab Amplitudine Tua, ut modum doceat, quem in scribendis et dirigendis literis sequi debeam. Magni Viri Dni Hugonii gratiam ut mihi conservet, etiam atque etiam rogo. An eadem nova ad Ipsum quoque sine aliqua temeritatis nota perscribere queam, Amplitudo Tua edocebit <sup>1)</sup>.

Aen mijn Heer Mijn Heer Davidt de Willem Raeets Heer van Sijn Hoch-Heyst In 's GrauenHage.

---

1) Diem nec annum adscripsit Warnerus.

## XI.

Illustrissimi ac potentissimi Domini, Domini mei Clementissimi.

Non mihi tantum arrogarem, ut hisce obstrepere auderem, nisi ratio temporis id postulare, et conditio rerum flagitare videretur. Etenim interesse puto, ut non ignoretur Dominum Residentem Nicolaum Gisbrechti peste correptum, postquam per viginti duos dies cum inexplicabilibus conflictatus fuisset doloribus, tandem decimo Novembris e vita excessisse. Simulatque decumbere coepisset, unum hoc mihi curae fuit, ut sedulum haberem rationem scriptorum publicorum, quae jam obtenta diligenter et summa custodia a me conservabuuntur, donec Ill. Pot. Vestra decernat de administratione huius provinciae, quae quidem ne ab aliis occuparetur, quorum mens ex adiunctis literis patet, cum solus vix obsistere posse viderer, per aliquot huius Imperii proceres hactenus impediri studui, quod Ill. Pot. Vestrae id minime ingratum futurum putarem, cum post obitum Domini Cops in non dissimili casu simile institutum placuisse scirem. Si mihi dictam provinciam demandari op-



tarem, qui in aedibus defuncti vixi, consiliorum omnium particeps et administrator fui, vel voto fortassis videretur esse immodicum; liberius tamen eo nomine supplicare audeo, quod sciam mercatores Ill. Pot. Vestrae subditos, qui hic et in aliis huius Imperii locis degunt, supplices quoque suas in mei favorem missuros esse literas, nisi Ill. Pot. Vestrae gratia anteveniat. Certe cum tot tantisque ornatus semper fuerim ac devinctus beneficiis, velim aliquando affulgere tempus illud, quo gratus non esse tantum, sed et existimari queam debitor. Quam gratiam, ut votum hoc implere liceat, ab Ill. Pot. Vestra supples implevi; nec mihi aliud magis cordi erit, quam ut fidem meam et vigilantiam in omnibus quae publicum concernunt, obsequentissime probem. Quod reliquum est, Deum oro ut Cels. Pot. Vestram Reipublicae et Ecclesiae bono semper florentem conservet.

Cels. Pot. Vestrae humillimus cliens  
Levinus Warnerus.

Perae Constantinopolis. Anno 1654, 14 Novembr.

Illustrissimis ac Potentissimis Dominis Ordinibus Generalibus Confederati Belgii, Dominis meis Clementissimis. Hagam.

---

## XII.

Ill. ac pot. Domini, Domini mei Clementissimi.

Superioribus literis significavi mortem domini Residentis Nicolai Gisbrechti, et quid Legatus Anglicus tentare coeperit et obtendere, cuius argumenti nunc renovo mentionem, quia dictus Legatus in proposito adhuc persistit, omnesque vias circumspicit, ut desiderio suo satisfiat. Iam consuetis illicis tantum effecerat, ut Capudan Bassa, alique magnates partibus eius faverent, et quaevis pollicerentur. Quod cum animadvertentem, hoc unice agendum putavi, ut a prima illi sententia dimoverentur, ne, si contra eos ius apud alios urgeretur, magis adversarentur: quod quidem hucusque ita successit, ut tandem iuramento interposito confirmaverint, se eiusmodi negoti amplius sese immiscere nolle. Postea Dominus Legatus adiit Vezirum, omnibus modis contendens, ius protectionis Belgicae sibi deberi, donec publico Ill. ac Pot. Dominorum Ordinum Generalium decreto constitueretur alius: sed ibi viam per amicos praeclusam invenit, adeoque infecta re discessit: nihilominus tamen, licet per viginti tres dies jam frustra fuerit, obfirmato animo

omnia persequitur, quae conceptam spem iuvare posse videantur, interea temporis Magnatibus Imperii inculcare non desino (quod et coram Veziro fuit dictum) in literis Ill. ac Pot. Dom. Dominos Ord. Gener. ad defunctum jam Residentem scriptis manifestum exstare mandatum, quo caveatur, ne ulla occasione capitulationes, ut vocant, exterae alicui nationi, quaecumque tandem illa sit, concedantur: cui hoc quoque adiunxi pactiones et mutuam cum imperio Turcico amicitiam id minime pati ut hic loci illis subiiciamus, cum quibus illic aliquandiu pro gloria et privilegiis sit depugnatum. Optem tenuem hanc operam probatum iri, ut deinceps maiora tentare audeam; in quo occasio favebit, quando Illusstrissima Potentia Vestra petitioni meae, quam supplicibus ante literis perscripsi, locum dabit. Quod reliquum est, Deum oro, ut Cels. Pot. Vestram Reipublicae et Ecclesiae bono semper florentem conservet.

Cels. Pot. Vestrae humillimus cliens

Levinus Warnerus.

Perae Constantinopolis. Anno 1654, 3 Decembris.

Iisdem. Hagam.

---

### XIII.

Ill. ac Pot. Domini, Domini mei Clementissimi.

Antequam scripsi de contentione illa quam Legatus Anglicus excitaverat, qua nihil aliud promovit, quam ut utrinque aliquot impensae sint factae: nam conatus eius omnes ad nihilum reciderunt, unde et consilii iam et facti poenitet: cum enim mercatores, qui hic et Smyrnae degunt omnes ei reclamarent, contraque una voce et mente in hanc sententiam irent, ut negotii publici constituerer procurator, donec Ill. ac Cels. Pot. Vestra de administratione huius provinciae decerneret, Kaimekan qui vices Veziri obit, diplomate aliquo, quod ipse in manus dabat, me munivit, quo primas lites conticescere iussit, mihique rerum publicarum iniunxit curam, usquedum Ill. ac Cell. Pot. Vestra quid factum vellet, et opus esse videretur, statuerit. His ita peractis adeundum putavi Capudan Bassam, qui cum primo alienus esset, tandem mutata opinione ignarum se ac imprudentem haecenus Anglorum partibus fuisse est professus. Verum post multos ultro citroque habitos sermones Ill. ac Cels. Pot. Vestrae indicatum voluit; contra pacta et

mutuae amicitiae leges fieri, quod Belgae juncti Venetis depugnarent contra Ottomanos: ad quod cum ipsi responderetur, quod occasione et loco inservire videretur, audio quidem, inquit, haec omnia, sed unum hoc scio, anno superiori undecim naves Belgicas interfuisse classi Venetae, absque quibus foret, facili negotio, affirmabat, Venetos praelio navali vinci posse. Nova alia impraesentiarum occurrent pauca. Apparatus bellici hic tanto majores fiunt, quanto valentior est hostis: nam ut communis idemque constans nunc est rumor, Cosaci ingenti copia se armant contra Turcas, et jam numerosas dicuntur paratas habere naviculas, suffragantibus quoque et adiutantibus Muscovitis, quibus sese pro inclinatione temporum subiecerunt. Causa huius non ordinariae commotionis, quod iniuriam non ferendam se a Turcis accepisse obtendant anno praeterito, cum exacerbati contra Polonos Legatum huc mitterent, qui proponeret: Cosacos spretis Polonis exoptare protectionem Turcarum, et cum iis coniungi cupere: quo quidem tempore Legatum illum plena spe dimissum fuisse dicunt, sed postea a Legato Polonico hic consilia illa disiuncta et primam spem contra promissa desperatam redditam fuisse indignantur. Ad gerendum Veziratum vocatus est Halebosch Bassa, vir in hoc Imperio valde formidabilis, qui, ut nunc sunt mores, apprime opus est, ut disciplina quae perfractis iam omnibus officii repagulis iam nulla est, restituatur, aliaque soluta et labefactata multa redintegrentur. Haec hactenus, si unum hoc denuo supplex rogavero, ut petitioni meae quam aliquoties notam feci, Ill. ac Cels. Pot. Vestra annuere dignetur. Quod reliquum est, Deum oro, ut Cels. Pot. Vestram Reipublicae et Ecclesiae bono semper florentem conservet.

Cels. Pot. Vestrae humillimus cliens  
Levinus Warnerus.

Perae Constantinopolis. Anno 1655, 19 Januarii.

Iisdem. Hagam.

---

XIV.

Ill. ac Pot. Domini, Domini mei Clementissimi.

Novi hic nunc parum occurrit, nisi quod postquam advenit Vezir, cuius aute mentionem feci, multae iam et magnae factae sint mutatio-

nes inter ministros publicos; et ut facile conicere licet, fient de die in diem maiores. Illi qui ampla munia administrabant, quae vel favore vel muneribus obtinuerunt, de loco iam sunt deturbati; qui opibus valebant, sed per nefas eas acquisiverant, privatamque utilitatem anteposuerant publicae aerarii curae, pars fortunis omnibus sunt eruti et morte multati, pars bonis spoliati praeter vitam acerbam nihil habent reliqui: hinc alii conscientiam timentes aufugerunt, alii quibus fugae copia non fuit, gradatim poenas luunt. Nunc hoc agit, ut conciliet equites et pedites, quos inter iam diu adeo implacabilia sunt odia, ut quotquot viae tentatae ante fuerant, neutiquam in gratiam invicem reverti voluerint: quod inceptum si perficiet, salutem Imperii et quieti publicae magnopere consulat. Sed et alii inveterato iam in hoc regno malo mederi satagit, ut scilicet venundatio munitiorum publicorum amplius non habeat locum; quae cum antea venalia essent, dignus, indignus prout quisque plus nummorum offeret, quod ambiebat, statim obtinebat; unde postea consequebatur direptio et compilatio subditorum, ut sumptus facti resarcirentur, et profunda insuper expleretur avaritia. Haec et similia dictus Vezir nunc molitur, unicum hoc obtendens, sibi non aliud curae esse, quam ut ius et aequum in pristinum decus restituatur: verum an in tanta licentia temporum et morum corruptela solus sit curva omnia correcturus, quo minus oneri succumbat, valde est dubium. Ut rebus mercatorum consuleretur, et alia evitarentur incommoda, illum adivi, eaque proposui quae usus et praesens status requirere videretur, dum multa alia reservanda putarem, donec Ill. ac Cels. Pot. Vestra de administratione huius provinciae decerneret: et satis facilem se praebuit, effecturumque affirmavit, ut omnibus secundum iustitiae regulam satisfaceret. Apparatus bellici magnis hic fiunt conatibus, sed vires distrahentur, quia non unus imminet hostis: de Cosacis enim qui terrori sunt huic imperio idem adhuc est rumor, qualem antehoc fusius perscripsi, huc accedit, quod in diversis Asiae locis seditiones sint et tumultus, quibus ut obviam eatur, inter alia etiam nunc cura suscipitur. Quod reliquum est, Deum oro, ut Cels. Pot. Vestram Republicae et Ecclesiae bono semper florentem conservet.

Cels. Pot. Vestrae humillimus cliens  
Levinus Warnerus.

Perae Constantinopolis. Anno 1655, 5 Aprilis.

Iisdem. Hagam.



## Ill. ac pot. Domini, Domini mei Clementissimi.

Literas quibus Ill. ac Cels. Pot. Vestra administrationem huius provinciae mihi demandavit, et simul de nummis prospexit, ternas iam, paucis interpositis diebus, accepi: cuius ut singularis honoris, ita non vulgaris beneficii memoria, cum infixata sit animo meo sempiterna, nihil quidquam prius ac potius unquam habebam, quam ut consilia et cogitationes meae omnes in iis occupentur, quae faciant ad tuendum honorem publicum, et promovendas res mercatorum, quorum mihi cura fuit commissa. Quam adiungere placuit ad Vezirum epistolam exhibere distuli, quod in mora nihil detrimenti viderem, et secreto intellexissem exitum eius exitiosum non procul abesse: quod et re ipsa ita compertum est; siquidem decimo Maii in palatio Regio fuit strangulatus, post caput ei praecisum et in loco publico collocatum omnibus spectaculum praebuit. Causa necis, quod aliquot abhinc annis rebellionem coeptavit; quam maculam postea quidem multis benefactis eluere studuit: sed cum Ottomanorum iniuriae veteris nunquam oblivisci soleant, non alius ei finis expectandus fuit. Occasio quae interitum acceleravit, quod (sicut ante scripsi) severius quam licentia temporum hic permittit, omnia exequi voluerit: quo accedit, quod novum aliquem militiae ordinem instituerit; cuius facti impatientes ordinarii milites tumultuarii coeperunt, eumque tanquam novatorem amplius tolerare noluerunt. Mufti quoque, quod raro solet fieri, non tantum de officio fuit deturbatus et aedes eius direptae, verum ex urbe etiam expulsus, et incertum adhuc an vivo esse liceat, quia publico expositus est odio, quod praeter alia quae ipsi impretantur, iusta et iniusta omnia semper nummis venderet. In Veziratum successit Murad Bassa ante Supremus Capitaneus maris, qui ut belli sciens et multis periculis est clarus, ita suffectus illi est Mustafa Bassa unus ex septem Veziris, obscurus et rerum maritimarum omnino imperitus, adeo hic fortè magis quam consilio pleraque aguntur. Atque haec tantum videntur esse praeludia quaedam mutationum illarum, quae in posterum, sicut ex praesenti rerum statu praesagire licet, contingent, eo quod sola potestas nunc sit penes milites equites simul et pedites semper rerum novarum cupidos, quorum reconciliationi, cum capitalia inter eos essent odia, eo fine maior opera fuit data, ut placati junctis animis et sociatis viribus rem melius gererent contra Christianos; illi vero postquam in gratiam invicem redierant, quod hisce diebus accidit, vi unita freti hactenus nihil aliud agitant, quam ut lubrici suae satisfaciant, dum neminem amplius timent aut reverentur; necdum reperitur,

qui se opponere illis audeat; secundum novam hanc concordiam si ordo equestris se intra limites non contineret, cohiberetur a pedestri, si pedestris exorbitare vellet, retineretur ab equestri, ne publica turbarentur. Classis Turcica contra Venetos itura, quae constat ex octoginta octo tum navibus tum triremibus, adhuc per aliquot dies hic morabitur, quod necessaria omnia nondum sint curata, licet Veneti hic vicini adventum iam opperiantur cum multis instructissimis navibus, quae plerasque Belgicas esse communis inter Turcas est rumor. Quod reliquum est, Deum oro, ut Cels. Pot. Vestram Reipublicae et Ecclesiae bono semper florentem conservet.

Cels. Pot. Vestrae humillimus cliens  
Levinus Warnerus.

Perae Constantinopoli. Anno 1655, Maii 22.

Lisdem. Hagam.

---

## XVI.

Ill. ac pot. Domini, Domini mei Clementissimi.

Tandem sedatis hic aliquo modo tumultibus, Literas Ill. ac Cels. Pot. Vestrae novo Veziro Murad Bassae exhibui, et ad omnia quae proposui, responsum quale desiderari poterat tuli. Imprimis carum erat, ut mutua amicitia sincere semper conservaretur, et in eum finem capitulationes, quas iniuria temporum praeteritorum labefactatas esse arguebam, probe in posterum observari debere, fuit promissum. Hoc solum grave videbatur, quod naves Belgicae cum alias semper, tum numerosiores hoc anno auxilium ferrent Venetis; ad quod sicut facilis erat responsio, quae et faceret satis, ita gravius nunc existimatur, quod eadem quae accepta fuit in commisso praelio, quo praeter ingentem occisorum numerum octo naves fuerunt perditae, maiori ex parte a Belgis illatam esse communis sit rumor. Casus hic turbat quidem eos quibus publici cura est commissa, sed alia accedunt quae confusionem augeant: nam novi illi milites quos Vezir nuper occisus conscripserat, sed hic repudiabantur, multa Asiae loca pervagantur, et numero viribusque de die in diem crescentibus, obvia omnia vastant et deripiunt, tum ut libidinem suam expleant, tum ut necem Veziri vindicent. Cosacj quoque, qui variis antea promissis luctati fuerunt, ne cum cymbis suis

in Pontum Euxinum prorumperent, quia inpositum sibi esse vident, denuo huc internuncium miserunt, qui minas denunciat, nisi facta spei satisfiat et iussu Regis Ottomanorum partes Tatarum deserant: contra, qui Polonorum causam huc agit, sedulo urget ut vires maneant coniunctae. Insuper Anglorum factum quod in Thunenses fuit editum de quo Black ad Legatum Anglicum huc scripsit, multorum animos commovit, licet pro ratione temporum plerique quod sentiunt, nunc dissimulent. Literae 22 Februarii datae, quibus sine mora curare iubeor quae Thomas Cletcher et Carolus Gisberthi Ill. ac Cels. Pot. Vestrae supplicarunt, 24 Junii demum ad manus pervenerunt; quo tempore statim coepi operam dare, ut quoad fieri posset, mandata perficerentur. Aliae, quae 1 Februarii scriptae trium captivorum redimendorum curam iniungunt, adhuc tardius fuerunt redditae; sed iam ante effeceram, ut unus ex illis nomine Floris Leendertsen Roterodamensis libertati restitueretur: de reliquis quoque sollicitus ero, et moliar quantum potero, quando triremes in quibus detinentur, fuerint reversae. Quod reliquum est, Deum oro, ut Cels. Pot. Vestram Reipublicae et Ecclesiae bono semper florentem conservet.

Cels. Pot. Vestrae humillimus cliens  
Levinus Warnerus.

Perae Constantinopoli. 17 Julii, 1655.

Iisdem. Hagam.

---

XVII.

Ill. ac pot. Domini, Domini mei Clementissimi.

Nullum fere scribendi argumentum hoc tempore magis hic est obvium, quam quod perpetuae Vezirorum mutationes suggerunt; unde novi semper tumultus, et quietis publicae mira perturbatio; quae eo maior nunc fuit, quod depositus Vezir consilia agitarit de novo Rege creando, cum non ignorarit, adulto hoc Imperatore haud impune cessurum, quod se authore pater eius Ibrahim esset occisus: et iam, ut facilius ad effectum perveniret, primarios aliquot qui impedimento esse possent, ex urbe expulerat; contra alios qui idem vellent, ad partes suas pertraxerat; nec milites erant alieni, tum quod addictissimi essent Veziro, tum quod invitarentur amplioribus stipendiis et donativis, quibus affici solent

quando novus Rex constituitur. Verum ut conatus hi omnes ad nihilum reciderunt, effecit religionis muhamedani antistes Mufti, qui legis auctoritate eiusmodi terrorem consiliorum istorum sociis incussit, ut statim a proposito desisterent: nec postea in quenquam fuit gravius animadversum, ut factiosi, qui multi erant, magis irritarentur. Vicissitudo haec valde ingrata est Venetis, quod enim diu antehac desideratum fuerat, ut Adrianopoli, ubi iam aliquandiu Legatus Venetus hinc expulsus detinetur, huc revertendi fieret potestas, a mutato nunc Veziro demum fuit impetratum; sed vix salutatus erat ab illo qui vices Legati obit, cum statim de Veziratu detruditur, unde denuo prima consilia sunt irrita facta. Tunenses vim factam ab Anglis aegre ferentes, gravissimas nuper querimonias huc detulerunt, sed quibus locus datus non fuit; non quod factum illud Anglorum non magnopere hic improbetur, sed quod hoc tempore belli Veneti curam eius negligi satius esse credatur. Quod reliquum est, Deum oro, ut Cels. Pot. Vestram Reipublicae et Ecclesiae bono semper florentem conservet.

Cels. Pot. Vestrae humillimus cliens  
Levinus Warnerus.

Perae Constantinopoli. Anno 1655, 13 Septembr.

Iisdem. Hagam.

---

### XVIII.

Ill. ac Pot. Domini, Domini mei Clementissimi.

Postquam tumultus illi quorum nuper mentionem feci, conquieverunt, hactenus omnia hic sunt tranquilla: contra in Anatolia quae iam aliquandiu coeperunt seditiones procedent: tempore latius propagantur, et nunc quidem post multas alias vastationes Aleppum quoque pervenerunt, quae civitas circumiacentibus locis direptis, variisque nefandis perpetratis, obsessa multa gravia patitur, passura graviora nisi inimicus inde repellatur; qui numero instructus exercitu, omnia quae libido suggerit, hactenus impune perficit, ob regimen minus lene et dissolutum quod hic loci nunc exercetur: cum tamen perpetuis illis quae inde deferuntur querimoniis tandem aliquando dandus fuerit locus, ad diversos provinciarum presides nunc fuit perscriptum, ut omni amputata mora, copias illas rebelles adoriantur, capiant, trucident, prout sors



armorum tulerit, de quarum rerum eventu iam avida hic est expectatio. Alia factio timebatur nuper, cum intelligeretur Moschos, (inter quos et hoc imperium minus bene convenit,) Suecos et Cosacos Poloniam pervagari, unaque nunciaretur Bugdanos et Valachos hoc unum cogitare, ut excusso dominio Turcico illorum sese imperio subicerent, verum maior nunc inde est securitas, postquam cognitum fuit Moschos recessisse, et Cosacos, qui inprimis hic bellicosi aestimantur et metuuntur, cum Tataro convenisse, nec hostile aliquid contra hos meditari: quo fit ut cum nullus ab Euxino metus, maioribus viribus hoc anno ituri hinc sint contra Venetos: quare etiam Algeirenses, Tunenses et Tripolenses auxiliares adesse iubentur; qui quod anno praeterito nullas suppetias tulerint Anglis, qui tunc illa loca adierant, imputatur, et altae memoriae semper manet infixum. De pace cum Venetis quaecumque ineuntur consilia hactenus sunt irrita; neque ad rem facit vel spem aliquam praebet, quod Residenti illorum nuper huc redeundi, quod diu ante impetrari non potuit, sit facta venia; quippe qui ab uno solo, qui plurimum in hoc imperio nunc potest, (sed notae sunt perpetuae et subitaneae hic officiorum mutationes) invitis plerisque ac reclamantibus, foveatur et sustentetur; tantum autem abest, ut Turcae occupata in Creta loca intercedentibus nummis vel aliis conditionibus reddere velint, (quod et religione facere prohibentur), ut ipsi non solum universam eam insulam sibi dedi, sed et capta illa in Dalmatia a Venetis castella ante restitui petant, quam arma deponere sit decretum. Inter captivos illos quorum redimendorum Ill. Pot. Vestra curam mihi iniunxit, nullius adhuc est facta copia praeter Floris Leenerts Roterodamensem iam ante mea opera liberatum; pro reliquis, in quos diligenti sciscitatione hactenus inquiri, idem praestare satago. Quod reliquum est, Deum oro, ut Cels. Pot. Vestram Reipublicae et Ecclesiae bono semper florentem conservet.

Cels. Pot. Vestrae humillimus cliens  
Levinus Warnerus.

Perae Constantinopoli. Anno 1656, 11 Januar.

Iisdem. Hagam.

---

## XIX.

Ill. ac Pot. Domini, Domini mei Clementissimi.

Antea scripsi de inveteratis aliquot in hoc Imperio malis quae ut tollerentur, cum multi inter proceres variis consiliis diu tentassent frustra,

quod necessaria auxilia non essent in promptu, concitati tandem milites suo more et ingenio tumultuario, nullo habito discrimine nocentium vel innocentium, eam rem sunt aggressi: et primo quidem omnes confusi armati una mente perrexerunt ad palatium Regis, quem praesentem intueri et alloqui contra consuetudinem voluerunt: quod cum concessum fuisset, ut effrenato furori occurreretur, dedi sibi flagitarunt primarios aliquot Regis ministros, inter quos ipse etiam eius praeceptor, diversi Eunuchi aliique illorum sententia digni qui morte multarentur. Rex ut exulceratus animos ad sanitatem revocaret, blanda eos oratione excepit, pollicitusque est, se in aliis omnibus honestae petitioni satisfacturum, sed postulare ut parceretur vitae; cui cum una voce reclamaretur et non nisi sanguine placari vellent, strangulati fuerunt in Regia ii, qui requirebantur, et foras ad militum pedes proiecti: quo facto eo etiam insolentiae processerunt, ut cum supposititios esse arguerent Imperator conceptis verbis revera illos esse quos desiderassent, affirmare necesse habuerit, addita hac voce: Rex non mentitur. Post cadavera illa in loco publico constituerunt, saevientes per aliquot dies in mortuos. Eodem tempore alii ex magnatibus qui et ipsi atro calculo ab exercitu erant notati, in diversa latibula sese abdiderant, sed tandem omnes in lucem protracti crudeli manu fuerunt trucidati: Vezirus quoque Capudan Bassa et Mufti de gradu deturbati et qui primi illis successerunt, vix per biduum durarunt; nec firmum aliquid aut stabile in posterum expectari poterit, nisi praesens rerum facies mutetur; quod quidem difficultate non carebit propter ingentem auctoritatem quam milites nunc usurpant, qualis vix ante in hoc Regno visa fuit aut audita; quae cum omnino sit intolerabilis et maiestati Imperii deroget, varia consilia clam agitari coeperunt, ut modus aliquis adinventiretur, qua inusitata illa potestas eis demeretur: quod cum hisce diebus palam fieret, omnes qui hoc negotium tractabant (erant autem multi iique seniores et vera Imperii columina), ex urbe sunt expulsi et in exilium relegati, adeo ut iam nemo fere hiscere audeat, et soli milites omnia pro arbitrio faciant, et facere pergant, quoad animi inter equestrem et pedestrem ordinem iuramentis obstricti manserint coniuncti; qui ut disiungantur, licet vel tot iam mortis et exilii exemplis propositis, in posterum semper allaborabitur. Quod reliquum est, Deum oro, ut Cels. Pot. Vestram Reipublicae et Ecclesiae bono semper florentem conservet.

Cels. Pot. Vestrae humillimus cliens  
Levinus Warnerus.

Perae Constantinopoli. 24 Martii, 1656.

Iisdem. Hagam.

---

Ill. ac. Pot. Domini, Domini mei Clementissimi.

Mandatum Ill. et Cels. Pot. Vestrae quae Joost Leenderts Schoeriem et Jan Denysepael concernunt, nono Novembr. edita, decimo tertio April. demum fuerunt perlata, quorum recentissimam quidem semper habui memoriam, sed absentia illorum obstitit, quo minus praesens fuerit auxilium: nunc vero cum hisce diebus tiremis illa in qua detineri eos intellexeram huc rediisset, et statim id agere coepissem, ut propositum perficeretur; certo mihi a multis affirmatur Joost Leenderts, cuius potior mihi iniuncta fuerat cura, ante aliquot menses Rhodi obiisse; ut unus solus sit relictus in quo liberando nunc oecupor. Quod spectat Literas illas secundo Septembr. ibi scriptas, quibus occasione postulante, indicare hic iubeor quid sentiendum sit de navibus illis Belgicis, quae forte apud classem Venetam deprehendantur, vigesimo primo April. eas accepi; et iam antea super eo negotio fuit responsum quod temporum hic et rerum conditio suaderet, et dabo operam in posterum ut Ill. ac Cels. Pot. Vestrae imperium adamussum exequar; nunc enim similis iterum invaluit rumor de auxiliariis Belgarum navibus, sparsus primo a diversis transfugis, sed postea quoque secreto mihi confirmatus ab aliquot Hollandis, qui ipsi in Mari Aegaeo eas armatas viderant. Illud hic etiam publice nunc circumfertur quod anno praeterito gestum fuit contra Algirenses; licet Vezirus quidem nullum de eo sermonem habuerit, alii tamen diversa mussitant: nonnulli dicunt Regem exiguam habere curam subditorum suorum, quod eos hoc modo tractari permittant; quidam obtrectant, eam causam futuram quod expectatae ex illis locis naves sociandae cum classe Turcica non sint venturae, cum vires iis fractae sint et attritae a Belgis. Quae quidem omnia, quando rationi datur locus, et fundamentum rei consideratur, quid de piratis illis sit statuendum, facile diluuntur; sed grave est et improbandum facinus quod commisit certus quidam Jan Mazier, praefectus navis vulgo dictae Castello de Ligorno, sicut ante a variis Christianis huc fuit perscriptum, et nunc inter Turcas est vulgatum. Dictus Mazier convenerat hic ante sex menses cum Bassa aliquo, ut eum deportaret Algirum, cumque viam ingressi, Tunis venissent, et venti aliquandiu flarent adversi, Bassa diutioris morae impatiens, reliquum iter assumptis aliquot famulis, decrevit terra conficere, navem cum residuo comitatu et suppellectili, favente tempore, expectaturum; interea et mercatores Tunenses contrabentes cum praefecto varias merces Algirum deferendas navi imponant, ipsique una eam conscendunt; quos ille cum mercimoniis

et sarcinis Bassae, sicut hic constans est rumor, contra datam fidem devexit Genuam, ut et homines et merces ibi venderet, unde iam nonnulli hic, quorum cognati, ut queruntur, fuerunt abducti, non desinunt obstrepere, qui nisi demulcerentur, multas turbas possent ciere, ut nunc sunt tempora, quibus concitato uno facile concitantur multi. Speratur autem ab Ill. ac Cels Pot. Vestra non impume cessurum illud factum, ne reperiantur, quod proclive est, qui simile exemplum imitentur, atque ea occasione ansa praebeatur suspicandi de sinceritate et integritate aliorum, cum saepe hic usu venire soleat, ut unius delictum imputetur multis. Quod reliquum est, Deum oro, ut Cels. Pot. Vestram Reipublicae et Ecclesiae bono semper florentem conservet.

Cels. Pot. Vestrae humillimus cliens  
Levinus Warnerus.

Perae Constantinopoli. 29 Aprilis 1656.

Iisdem. Hagam.

---

XXI.

Ill. ac Pot. Domini, Domini mei Clementissimi.

Decretum Ill. et Cels. Pot. Vestrae contra piraticam Tunensium octavo Decembris ibi consignatum primo Veziro proponendum et explicandum quarto Maji huc fuit perlatum. Verum cum Vezirus aliquandiu gravi morbo laborans tandem decesserit, necdum suffectus sit alius, mora aliqua intercedet, antequam iussa liceat exequi: quae fortassis erit longior, quod Damasco vocatus sit Bassa, qui Veziratum capessat, nisi prior sententia iterum mutetur, sicut in tali negotio saepe fieri consuevit. Similiter quoque nunc foris expectatur Capudan Bassa, nam primus oblati ter centum mille imperialibus obtinuit Bassatum Caëri (antiquari enim, quicquid agatur, ille nos non potest, quominus munia omnia vendantur nummis) simulatque novus ille advenerit, exitura est classis, quae, licet cum naves tum triremes septuaginta fere iam sint numero, negligentius hoc anno fuit instructa, propter intestinas et domesticas seditiones, quae nunc aliquo modo sopitae esse videntur, postquam Rex primarios illarum duces et quasi signiferos e medio tolli curavit nihil tale suspicantes; reddiderat enim illos securissimos (data interea opera, ut abalienaretur miles qui adhaerebat) sustentatores ruentis Imperii



eos appellans et diversis cumulans muneribus, ut ea ratione sibi persuaderent nullam apud Regem superstitem esse memoriam, quod antea sese ei opposuissent, et si quid peterent, non concederetur statim, dicere ausi fuissent: Vivat Exercitus.' Alia foris nova, quod ante paucos dies huc venerat Legatus Regis Indiae, cuius sedes nunc est Egra, cum ingentibus et numerosis muneribus, sollicitatum, quantum nunc innotuit, Turcarum auxilia contra Persas; quae inter alia eo promptiora deberi contendit, quod praeter sinceram quam ipsi iam diu praestiterint amicitiam eodem quoque cum hisce fidei vinculo constringantur, cum contra Persae simulatam tantum, ut experimento sit cognitum, necessitatique temporum astrictam colant amicitiam, et communis inter eos religionis in multis manifesti sint oppugnatores; quid impetraturus sit, hactenus non constat; verum ut ex conditione rerum apparet, infecto negotio est discessurus, quod res propriae foris valde sint labefactatae, nec hic quoque satis firmas; quo accedit quod mutuis illorum dissidiis et turbis quieti et tranquillitati privatae consuli non dubitetur, cum credatur Indum, si vacaret, tentaturum aliquid contra Meccam et alia illic vicina loca; Persarum autem contra hos odia et molimina, licet ratio temporum ea comprimatur, scitur esse perpetua. Tatarorum Rex multis praemissis contentione tandem Principi Transylvaniae denunciavit, se nisi expeditam summam pecuniae annuatim solveret, expedito exercitu eam exacturum; ad quod Princeps, sibi omnino determinatum, nihil dare velle, cum deberet nihil, ideoque si venturus esset, gladio litem decisum iri. Postulata illa Tatari postea hic fuerunt proposita et desiderata a Transylvanis Turcarum patrocinium, quod iure iurando pactis publicis confirmato, praestare teneantur, cum vel eam maxime ob causam anniversarium huc mittatur donativum, ut illi dicunt, Turcae debitum vocant: quo considerato promissae fuerunt literae ad Chanum, quibus iubeatur a proposito desistere. Johannem Denijsepael Roterodamensem iam e captivitate liberavi, et prima occasione quae favebit in patriam mittam. Quod reliquum est, Deum oro, ut Cels. Pot. Vestram Reipublicae et Ecclesiae bono semper florentem conservet.

Cels. Pot. Vestrae humillimus cliens  
Levinus Warnerus.

Perae Constantinopoli, 26 Maii 1656.

Iisdem. Hagam.



## XXII.

Nobilissime Amplissimeque Domine.

Simulatque literae Amplitudinis tuae fuerunt redditae, quae fere per sex menses in via haeserunt, curae fuit ad quaestiones propositas responsum. Imperator Turcarum Muhammed filius Ibrahimi ex matre origine Russa natus anno Christi millesimo sexcentesimo quadragesimo secundo, primo Januar. die Jovis: post Hegiram Muhammedis millesimo quinquagesimo primo, creatus Rex cum esset septennis. Fratres ei sunt tres diversis geniti matribus, Sulimam Ahmed et Selim, (quartus Urcham dictus est mortuus) quorum primus tribus mensibus Rege est minor, alter undecim habet annos, tertius septem, post necem patris in lucem editus; quibus ut vita nunc minus segura, ita tunc plane anxia est et dubia, quando ipsi Regi fuerit proles mascula. Atque praeter hos fratres alii agnati qui per virilis generis cognationem sint coniuncti (quod tertio loco quaeritur) nulli sunt: habet quidem cognatos qui per faeminei sexus personas connectuntur, natos ex filiabus Sultan Murad, quarum tres adhuc sunt superstites, (totidem quoque reliquit Ibrahim sorores huius Imperatoris) sed illi semper manent obscuri et emergendi omnis occasio praeciditur, cum publicis statutis sit cautum, ne ad magna munia provebantur; ita quidem ut si vel Vezirus aliquis vel alius quispiam ex magnatibus gnatos habuerit alios ex Regis filia alios ex ancilla susceptos, hi procedenti tempore ad Veziratum possint promoveri, quibus alteri postea inserviant: adeo generatim hic obtinet, ut vel non sint consanguinei, iuxta tritum illud et vetus inter Orientales verbum, Regnum debet esse sterile, vel si qui sint depressi habeantur et abiecti, unde fit ut Imperatores Turcici neglecto matrimonio, tantum ancillas adhibeant; quam ob causam in gravem reprehensionem incurrit Rex Otman, quod contra institutum coniugio sibi iunxisset filiam alicuius Mufti, quae adhuc in vivis est, copulata iam cum infimae conditionis homine. Si Amplitudo tua de aliis in posterum, quae scire interesse putet, me monitum voluerit, res fiet gratissima.

Amplissimarum Virtutum tuarum cultor  
Levinus Warnerus.

Perae Constantinopoli. 26 Maji 1656.

Mijnheer, Mijnheer Nicolaes Ruysch, Griffier van de Hoge Mogende Heeren Staten Generael der Vereenichde Nederlanden.

---

## XXIII.

Ill. ac Pot. Domini, Domini mei Clementissimi.

Quae nuper occurrerunt, vigesimo sexto Maii perscripti: interea temporis incidit parum quod scire intersit, nisi quod Capudan Bassa cum classe exiturus pro more a me salutatus denuo verbosius arguere coeperet, contra amicitiae legem peccari, quod suppetiae ferrentur inimico: quippe qui hoc anno plerisque navibus Belgicis esset munitus, quod adeo sibi constare affirmabat, ut vel sigillatim earum nomina posset recitari; ad quod cum responderetur quod Ill. et Cels. Pot. Vestrae Literis secundo Septembr. datis fuit praescriptum, unaque adiungeretur quod praesenti rerum ac temporum conditioni inserviret, aperte quidem fidem derogare noluit, sed nihilominus tamen urgere non desuit, ut literas darem quibus naves illae Belgicae quae classi Venetae interessent, iuberentur discedere; quod propositum cum vanum atque irritum esse ipsi fuisset demonstratum, intervenerunt frequentissimi iidemque acerrimi accusatores Capitanei Mazier superioribus meis literis designati, omnibus modis contententes voce et literis in favorem datis, ut damnum illud quod contra mutua pacta intulisset Muhametanis, quos vendendos abduxisset et merces illorum exposuisset distrahendas, hic resarciretur, adeoque delictum privatum expiaretur publice: et primo quidem ea facti turpitudine ita commovit Bassam, ut Regi se negotium illud propositurum esse diceret, quo cognosceret quid sub specie amicitiae ageretur inimice; sed tandem cum perpenderit et examinasset ea quae inter alia offerebantur de modo contractus hic initi, de conditionibus et exceptionibus, ceterisque circumstantiis, quae ad rem facere viderentur, conticescere adversarios iussit, ita ut controversia illa omnino fuerit sublata. Hisce diebus huc venit Internuncius Regis Poloniae, qui Imperatorem Turcicum sollicitat, ut Tatarus iubeatur auxilia ferre et simul cogantur Transylvanorum, Valachorum et Moldavorum suppetiae: quod eo magis persuadere nititur, dum asserit certo constare inexplebilem illam avaritiam Gothicam minime contentam fore finibus Poloniae, sed dominatricem suam cupiditatem ad hoc Regnum quoque extendere, sicut Sueci non vocibus tantum, sed publicis scriptis typo mandatis palam fecerint; imo vel iam eos hostilem et barbarum animum satis declarasse ostendit quod internuncium Turcicum ante aliquod tempus in Poloniam missum contra ius gentium captum detineant; responsum ad haec omnia hactenus differtur, nec ante, ut apparet aliquid constituetur, quam novus Vezirus, qui brevi est affuturus, veniret. Mitto exemplar Literarum

Regis <sup>1)</sup>, ut penitius cognoscam, quomodo in posterum, si quae similia proponuntur, me gerere debeam. Quod reliquum est, Deum oro, ut Cels. Pot. Vestram Reipublicae et Ecclesiae bono semper florentem conservet.

Cels. Pot. Vestrae humillimus cliens  
Levinus Warnerus.

Perae Constantinopoli. 24 Junii 1656.

Illustrissimis ac Potentissimis Dominis Ordinibus Generalibus Confoederati Belgii, Dominis meis Clementissimis. Hagam.

---

1) Hanc epistolam typis mandare operae pretium non duxi.

---

#### XXIV.

Ill. ac Pot. Domini, Domini mei Clementissimi.

Post ea quae vigesimo quarto Junii perscripsi, increbuit insignis illa et memorabilis Venetorum a Turcis reportata victoria maritima, quae eius conditionis fuit, ut universa classis Turcica, exceptis octodecim triremibus, sine praelio et cruore fuerit capta: qualem quidem eventum multi ante praesagiebant, qui attentius considerabant neglectum illum et praeposterum quo res bellicae administrabantur modum. Etenim Supremus Capitaneus omnino erat rudis et maris ignarus: militibus plerisque qui et ipsi inertes et hebetes, nullus animus pugnandi, quod inviti arriperentur, nec iustum persolveretur stipendium, unde ter mille iam ante aufugerant, quam hostis fuisset visus: eundem quoque Supremum Capitaneum alii commilitones primarii tam acerbo prosequerantur odio, ut postposita salute publica, invidiae indulgentes, operam quam sociare poterant, praestare noluerint: adeo ut cum inimicus hosce adoriretur, nec ordo aliquis fuerit instructus, nec imperium ullum acceptum, sed permixti et conturbati, cum et omnia viderent esse trepida, statim relictis navibus in littora, quibus malo consilio classis erat vicina, se receperint. Inter insignia huius hostium superationis merito numeratur libertas captivorum, qui fere sex mille servitutem evaserunt, et iam dum exacerbati exulceratique, locorum etiam et rerum sunt gnari, non parum promovent, ut praecedens victoria sit instrumentum sequentis: unde iam insula Tenedos quoque facili negotio fuit capta; et ad alia loca liber erit aditus, ut vel expugnentur, vel pecunia extorqueatur, cum vires quae opponantur nullae sint relictiae. Sed quo maior hoc anno fuit clades, eo magis nunc de modo ulciscendi labo-

ratur; quo fine numerosissimae et naves et triremes curabuntur fabricari, quorum sumptuum magna pars proceribus Imperii fuit imperata: mancipia quoque in locum amissorum convocabuntur ex Tataria, Tunete, Algerio et Tripoli, unde etiam qui maris sint scientes expectantur, quoniam hic tanta illorum est penuria, ut saepe munia maritima, quando classis emittitur, iis demandentur, qui nunquam ante pelagus sint ingressi. Illud certe hic omnibus constat, multoties praefici Supremum Capitaneum, qui ne ventos quidem sciat distinguere, tantum abest, ut aliorum quae necessario requiruntur aliquam habeant peritiam, quoniam non certa aliqua deliberatione sed inconsulto inconsideratoque modo deligitur, et levem vel nullam ob causam iterum ab officio deponitur, sicuti hoc anno cum classis instrueretur, ter fuit mutatus. Ac praeter illa quae mari sunt tentanda, hoc quoque decretum est, ut validus paretur exercitus mittendus in Dalmatiam, ubi tanta nunc Venetorum sunt praesidia, et unde tot iisdem continuo suppeditantur subsidia; imo quod maiores conatus et molimina designat, tractari coeptum fuit (quamvis id omnino temerarium videatur) ut ab Imperatore Germanorum liber contenderetur transitus per certa aliquot ditiorum illius loca, quibus ad inimicum expeditior pateret via. Diu expectatus Vezir nunc tandem advenit, ideoque statim operam dabo, ut Ill. ac Cels. Pot. Vestrae decretum contra piraticam Tunensium octavo Decembris ibi editum, ipsi proponatur. Quod reliquum est, Deum oro, ut Cels. Pot. Vestram Reipublicae et Ecclesiae bono semper florentem conservet.

Cels. Pot. Vestrae humillimus cliens  
Levinus Warnerus.

Perae Constantinopoli. 20 Julii, 1656.

Iisdem. Hagam.

---

XXV.

Ill. ac Pot. Domini, Domini mei Clementissimi.

Postquam Vezirus diu expectatus advenit, Decretum Ill. et Cels. Pot. Vestrae contra piraticam Tunensium proposui: utque magis cognosceret et ad animum revocaret iustam exposulandi causam, capitulationis articulum qui de argumento illo tractat, vernacula lingua ei praelegi, et simul exposui quae hic audiuntur de Tripolensibus Barbariae, qui continuo naves Belgicas infestent, bona diripiant, hominesque abducent captivos, violata dicta capitulatione, qua id facere prohibeantur. Quibus omnibus attentius consideratis, prompte est pollicitus mandatum Regium



illuc mittendum, quo serio imperetur, ne in posterum amicos laedant, vel aliquid contra eos committant, quod lamentandi posset praebere occasionem. Verum omnino sciendum est, mandata Regia parum vel nihil in illis locis curari; quod cum superioribus temporibus multis experimentis fuerit cognitum, dum adhuc severior esset Regni huius disciplina, et autoritas maior, nunc facilis est coniectura, quid expectari debeat vel sperari possit, dum labefactata pleraque sint et de die in diem magis collabuntur, propter continuas illas cum foris tum domi seditiones, quae quando sedatae esse videntur et compressae, vehementiores exsurgunt et magis noxiae. Jam hisce diebus praeteritis iterum detecta fuit adversus Regem coniuratio, cuius non pauci inter proceres fuerunt conscii, et author primarius ipse Mufti, qui cum verba eius praecipue apud populum oracula esse creduntur, multorum animis impreserat, generalem illam acceptam a Venetis cladem, et tot alias Imperii pestes imputandas esse infortunato astro Regis, (receptum enim est apud multos orientales certum sidus Regibus dominari), qui quamdiu imperaret, omnia tristia et ominosa semper esse expectanda; cum tamen reipsa notum esset, eum non aliam ob causam nectari Regem voluisse, quam ut, dum substitueretur alius ad regnandum adhuc minus idoneus, ipsi soli pro metu et arbitrio cuncta moderari et administrare liceret; ob quam criminis magnitudinem illi vita fuit adempta, cum alioquin nullus Mufti occidi soleat, quippe qui juxta illorum opinionem, divinae humanaeque legis sit antistes et interpres. Edictum quod 29 Decembris anno 1655 ab Ill. et Cels. Pot. Vestra consanguineis defuncti Nicolò Gijsberti fuit concessum, 1 Augusti demum huc pervenit. Alterum quod Johannes et Albertus van Benthem 9 Martii 1656 impetrarunt, 15 Julii est perlatum: ut utrique quoad fieri potest, satisfiat, summam dabo operam. Verum ut filiola mittatur, comoda aliqua et quantum tempora promittent, secura expectanda erit occasio. 1) Haeredes Copsii quoque mandatum aliquid obtinuisse scribitur, sed quod nondum videre contigit. Quod reliquum est, Deum oro, ut Cels. Pot. Vestram Reipublicae et Ecclesiae bono semper florentem conservet.

Cels. Pot. Vestrae humillimus cliens  
Levinus Warnerus.

Perae Constantinopoli. 14 August. 1656.

Iisdem. Hagam.

---

1) Nicolai Ghisbrechti filiola, nomine Annetta, non profecta est in Belgium, nam Perae vitam degit, et erat adhuc inter vivos anno 1665, quum Warnerus mortuus est, ut apparet ex illius testamento.



## XXVI.

Ill. et Pot. Domini, Domini mei Clementissimi.

Iam aliquandiu hic omnia quæta; foris quoque quæ sint alicuius momenti nova intelliguntur pauca: novissimum est quod superiori hebdomade huc advenerit Legatus Regis Persiæ, postquam integris sedecim annis Legatio illa fuisset intermissa: unde suspiciones multæ, et ab utraque parte diu fides tuta fuit nulla. Dies quo Imperatorem compellet, tantisper ei differtur, donec appropinquet tempus, quo stipendia hic solvuntur, (quod quovis trimestri fieri solet) ut tum et copiam militum lustret, et vim nummorum qui distribuuntur, quorum summa fere ad septies centena millia thalerorum redit. De iis quæ in mandatis habet ut proponat, postea cognoscetur propius; nam quæ nunc omnibus in ore sunt, coniecturis magis quam vero nituntur, quare perscribendis eis supersedeo. Venit et hisce diebus Principis Transilvaniæ Legatus cum anniversariis muneribus, quæ paucis abhinc annis iterum usque ad quindecim mille aureos excreverunt, cum antea decem mille tantum solverentur: sic et vicinus Princeps Valachiaë annuatim nunc centum et triginta mille Imperiales pendit, qui primum octoginta mille pendebat; a Moldavo item octoginta mille iam exiguntur anni spatio, cum ordinaria olim summa solummodo quinquaginta mille Imperiales conficeret: ita omnia procedenti tempore in peius labuntur, idque plerumque culpâ propria illorum, qui nummos eos suppeditant; quos augere solent, vel quod metuant ne alius aliquis loco eorum subrogetur, vel ut maiorem aucupentur gratiam: quod dein, sicut in aliis similibus negotiis in hoc Imperio fieri assolet, in consuetudinem abit, quæ postea antiquari nullo modo potest. Idem usu venit in Ecclesia Graeca, cuius res nunc plane in extremis sunt, ob perpetuas eius conversiones, et mutationes Patriarcharum, quos hisce temporibus aliquando unius mensis intervallo tribus vicibus permutatos fuisse vidimus: neque enim amplius Ecclesiae bonum curatur, sed mutuis tantum odiis indulgetur et vanæ gloriæ; unde fit, ut quando aliquis ad Patriarchatum est promotus, statim reperiantur qui ob ambitionem et privatam utilitatem illum de loco deturbare satagent; quod cum fieri nequeat, si non augeatur summa illa pecuniaria, quam antecessor Turcis dedit, res peletentim eo devenit ut qui novus Patriarcha constituitur, minimum viginti mille Imperiales impendere necesse habeat; unde postea consequitur, ut dum refundendi sint isti nummi, gregem sibi commissam non pascat sed deglubat. Illud iam non est reticendum, nuperrimis temporibus cœpisse Gallos quosdam mercatores Smyrnam magnâ copia transportare adulte-

rinam monetam, cuius genuinum et verum genus in Confoederati Belgii Provinciis solet cudi, adulteratur autem in quibusdam locis Italiae, quod cum nullo modo tolerari aut ferri debeat, providendum existimavi (indicato ante illo negotio Legato Galliae ut mercatoribus suis serio iniungat, ne simili impostura amplius utantur) ut si in posterum eiusmodi improbi nummi ab illorum sequacibus et satellitibus advehantur, via et modus adhibeatur, quo publice innotescat, quinam nummarii illius adulterii sint authores et negotiatores; ne postea quando ea fraus Turcis detegetur, crimen hoc imputari possit aliis, qui a fucato illo commercio absunt quam longissime. Ibidem loci ob causam levissimam multae et magnae nuper extiterunt lites inter navium Capitaneos Belgas et Anglos, quae post multa verba et verbera mutua, tandem eo processerunt, ut utriusque Nationis Consules a Iudice Turca sollicitaverint et impetraverint literas ad Vezirum, qui causa inspecta de iure vel iniuria iudicaret: quae literae cum huc pervenissent, minime consultum visum fuit, ut eas exhiberem, qui scirem pro more tunc ex parva scintilla magnum excitari incendium; cum aliquando experimento hic sit cognitum, viginti quinque mille Imperiales a Gallis et Anglis fuisse Turcis objectos propter eiusmodi litem, cuius prima origo erat contentio de primatu loci in portu Constantinopolitano inter navem Gallicam et Anglicam. Quibus consideratis opera data fuit, ut sine interpositione Turcica amice omnia inter ipsos sint composita, ut utrique parti fuerit satisfactum. Quod reliquum est, Deum oro, ut Cels. Pot. Vestram Republicae et Ecclesiae bono semper florentem conservet.

Cels. Pot. Vestrae humillimus cliens  
Levinus Warnerus.

Perae Constantinopoli. 27 Novembr. 1656.

Iisdem. Hagam.

---

## XXVII.

Ill. ac Pot. Domini, Domini mei Clementissimi.

Quae nuper vigesimo septimo Novembr. tranquilla et quieta hic esse significavi, denuo factiosi quidam, quorum praecipui erant milites, turbare et inquietare studuerunt; dum gliscente semper odio stimulati, instarent ut primarii aliquot inter Proceres necarentur, et certos reditus

contra morem antiquum assignari sibi obtenderent: Verum singulari Magni Veziri consilio præventum fuit, quominus illorum conatus in actum erumperent; quibus ansam præbuerunt, ut fere ter mille diversorum ordinum homines, plerique silentio noctis gradatim fuerint occisi, non solum illi quorum culpa in propatulo erat, sed etiam qui vel minimæ suspicioni essent obnoxii; quibus etiam aggregati fuerunt reliqui, qui prioris conspirationis, vigesimo quarto Martii a me indicatæ, erant conscii et adiutores, sed qui tum ob adversantia tempora vindicari non poterant; qui ipsi cum non tantum urbi huic essent inclusi, sed et foris multi, generatim nunc de omnibus pro gravitate delicti supplicium sumitur. Illud quoque quod certos proventus antea insuetos attribui sibi flagitarent, non solum repudiatum fuit, sed etiam occasio extitit, ut quæ per universum imperium a tempore Sultan Solimani variarum conditionum personis concessa fuerunt vitæ adminicula, vel multum diminuta, vel plane sint adempta: quod ingentem effecit summam rei pecuniariæ, qua aerarium nunc locupletatur. Atque ita iam cum audacia illa discordiosorum repressa sit, ut videtur, cura omnis versatur in apparatus et armis, mari et terra contra inimicum dirigendis; quorum præsentis Veziri operâ et vigilantia tanta nunc et sunt et fiunt præsidia, quanta durante hoc bello nondum fuerunt visa. Legatus Persicus qui in liberis custodiis hic habitus fuit, præteritis hisce diebus discessit: primaria Legationis causa, ut renovarentur foedera pacis (quod consensum hic fuit) post captum Bagdadum mutuo inita, quibus terminus viginti annorum erat præscriptus. Contendit etiam ut Regi Persiæ potestas fieret accedendi locum aliquem Nezeff dictum, apud illos Ali dedicatum, qui tridui itinere Bagdado distat, ut ibidem, sicut Reges Persiæ antea facere consuevissent, inauguraretur, adiuncto comitatu, qualem eiusmodi solemnia requirerent: in quo proposito non quidem recusatum fuit, quo minus illuc abiret, sed ut magnis copiis stipatus iret, plane negatum; quod suspicio non desit, voce quidem talia prætendi, sed mente sub illa specie, habita ratione occasionum, ipsum etiam Bagdadum intelligi, cum sciatur machinationes illorum nunquam cessare, propter vetera et inexpiabilia odia, quæ uti generavit, ita continuo nutrit æmulatio imperii, et dissensio in religione, quæ quo vicinior inter eos, eo maior est animorum disiunctio: Sed minor nunc de illorum molimentis hic est sollicitudo, quod perpetuo distrahantur ac distineantur cum Indo; ad quæ dissidia fovenda, pro occasione hinc incitamenta subministrantur. Quantum ad Piraticam Tunensium et aliorum denuo Veziro novo proposui quæ super eo negotio Ill. et Cels. Pot. Vestra antehac iniunxit, ac aliis quoque qui res Imperii tractant, secundum normam illius decreti, singula exponi curavi: et responsis

quidem quae dantur, promptissime remedia promittunt: sed an, si maxime velint, reipsa praestare ea hisce temporibus possint, credi non potest. Quod reliquum est, Deum oro, ut Cels. Pot. Vestram Reipublicae et Ecclesiae bono semper florentem conservet.

Cels. Pot. Vestrae humillimus cliens  
Levinus Warnerus.

Perae Constantinopoli. 24 Januarii, 1657.

Iisdem Hagam.

---

XXVIII.

Ill. et Pot. Domini, Domini mei Clementissimi.

Non diu post ea quae vigesimo quarto Januarii perscripsi, cognitum hic fuit de sociali foedere Transylvanorum, Valachorum, Bugdanorum et Cosacorum, ac coniunctis illorum copiis, quas in Poloniam essent educturi. Quae commotio cum mirum in modum displiceret, Magnus Vezirus convocatos Residentes gravissime caepit increpare, et accusare eorum dominos, quod contra datam fidem, insciis atque inconsultis Ottomannis, tale negotium essent aggressi. Transylvanus respondit, secundum pacta mutua se minime obstringi, ut in eiusmodi facto hinc peterent consilia, ideoque fidem suo loco illibatam constare. Valachi et Bugdani sese purgaturi affirmarunt, consensu Principum, nullum omnino militem ibi fuisse collectum; illos qui transeunti exercitui se adiunxissent, factiosos et refractarios fuisse, qui in disciplina contineri non potuerint. Quae ipsa cum parum solida et fucata sint visa, severa mandata regia illuc fuerunt missa, quibus iubentur et monentur, ut a proposito desistant, si minus, iram Regis cum ferro et flamma esse experturos: quo fine iam ad Bassam Budensem, Silistriensem et Dimisvarensensem serio fuit scriptum, ut in armis sint, et regiones illas adorian- tur, si in incepto perseverent. Tataři quoque iisdem interpositis conditionibus in mandatis habent, ut vires suas contra eos convertant. Atque haec inpraesentiarum tantum occurrunt. Quod superest, Deum oro, ut Cels. Pot. Vestram Reipublicae et Ecclesiae bono semper florentem conservet.

Cels. Pot. Vestrae humillimus cliens  
Levinus Warnerus.

Perae Constantinopoli. 20 Februarii, 1857.

Iisdem Hagam.

---



## XXIX.

Ill. et Pot. Domini, Domini mei Clementissimi.

Ill et Cels. Pot. Vestrae Literae 31 Julii signatae, novissime post eas quae 9 Martii, Anno 1656 erant datae, 27 Februarii huc fuerunt perlatæ; quarum decretum ut flagitanti temporum occasione accommodetur, summa dabitur opera. Recentissimum hic nunc quod triremes Turcicae numero triginta tres diu ante solitum tempus hinc eductæ, Tenedum iam, quod arduum videbatur, integræ et intactæ transierint, militem deportaturæ, ut affirmatur, in Cretam; contra insulas enim anno superiori captas, quæ ante naturâ munitæ, nunc arte et manu hominum sunt munitissimæ, nihildum tentatur. Reliqua classis quoque magna celeritate instruitur, indefessa curâ Veziri; cuius continua opera versatur tam in reformanda re militari, quam reparandis iis, quæ hactenus in Imperio collapsa vel labefactata fuerunt. Et iam quidem ita omnia moderatur et providet, ut cum pristina tempora seditionum ac factionum diu fuerint plenissima, nunc vel tumultus publici existant nulli, vel cum extiterint, illico sedentur; sicut nuper factum fuit, quando Bira ad Euphratem obsidebatur, et Satalia in Caramania similis quoque conciliatio iam praesumitur in negotio urbis Damasci, quam nuperrimus Bassa Alepensis hostiliter aggreditur. Commotiones Transylvanorum aliorumque vicinorum, qui sunt tributarii, magis magisque hosce exasperant, quod nec monita morati nec minas, de quibus 20. Februarii scripsi, in proposito permaneant: Eoque maiori curae res est, quo vires illorum sunt maiores; nam præter Transylvanum, Valachus iam aliquot annos triginta mille alit milites, viginti mille Bugdanus, uterque Transylvano obligatissimus, quod antehac illum domestico bello liberaverit, hunc contra inimicum extraneum defenderit. Par cogitatio est de Cosacis conspirantibus, qui infensissimi hic habentur, cum nunquam, quando vacant, desinant infestare mare Euxinum, et adiacentia quævis loca compilare ac diripere; ut illo tempore separatim semper vires maritimæ sint parandæ, quæ illis opponantur. Quas ob causas Tatarus nunc vehementius hinc urgetur, ut paratissima habeat, quæ ad repellendos adversantium conatus valeant: et iam diversi quoque Bassae et Præfecti in confiniis Hungariæ et Transylvaniæ validissimo milite sese muniverunt, qui hinc signum datum praestolantur. Hoc ipso die Patriarcha Constantinopolitanus in publico loco, ubi sceleratissimi quivis supplicio affici solent, fuit suspensus; quod argueretur, (misso huc eam ob causam nuncio a Rege Tatariae) cum Moschis et Cosacis clandestina agitasse



consilia, quibus arma eorum contra Ottomanos suaserit et incitarit. Quod reliquum est, Deum oro, ut Cels. Pot. Vestram Reipublicae et Ecclesiae bono semper florentem conservet.

Cels. Pot. Vestrae humillimus cliens  
Levinus Warnerus.

Perae Constantinopoli. 31 Martii 1657.

Iisdem. Hagam.

XXX.

Ill et Pot. Domini, Domini mei Clementissimi.

Paucis <sup>1)</sup> abhinc diebus huc venit Legatus Cosacorum, confirmatum amicitiam cum Ottomannis eo modo, ut violari illa non existimetur, si Tataros, dum intra limites se non contineant, vel Polonis opitulari sagant, impediunt et conatibus eorum resistant. Responsum differtur, donec Sueciae et Transylvaniae Legati, qui propediem expectantur, quoque advenerint, quoniam sociale inter eos foedus esse intelligitur. Cum Patriarchatus, ob discrepantes Graecorum sententias, per triginta dies vacasset, tandem successus fuit alius, qui literarum omnium est rudis. Primus, cui ut honor sepulturae concederetur, multa oblata pecunia frustra tentatum, in mare fuit proiectus. Quod reliquum est, Deum oro, ut Cels. Pot. Vestram Reipublicae et Ecclesiae bono semper florentem conservet.

Cels. Pot. Vestrae humillimus cliens  
Levinus Warnerus.

Perae Constantinopoli. 9 Maii 1657.

Iisdem. Hagam.

1) Quae praecedunt spectant novum consulem Smyrnae designatum nomine Michael Mortier, necnon Warneri sumptus ob crebram muniturum publicorum permutationem graviore, et Benthemiorum quoddam negotium. Sed in longa epistolarum serie lubuit suppressere ea, quae de Belgarum mercatura, de rebus Smyrnensibus cet. retulit Warnerus, operae pretium erit ista omnia alio loco exprimere.

## XXXI.

Ill. et Pot. Domini, Domini mei Clementissimi.

Tandem advenerunt Suecorum et Transylvanorum Legati, quos superiori mense expectari significabam. Legationis Suecicæ finis hic fuit propositus, ut renovaretur magisque corroboraretur amicitia sub Gustavo Adolpho inita, quam optime curari et exerceri utrinque nunc posse, intermedio Principe Rakoci Ottomanis devoto et Suecis amico, naviter fuit declaratum. Postulatum quoque secundum firmandæ istiusmodi amicitia leges, ut deinceps arma Tatarorum inhiherentur contra Suecos eorumque foederatos, qui nihil hostiliter ante contra illos patrassent. Transylvanus, qui acerbissima Ottomanorum odia in se concitavit, quod inconsultis illis et plane nesciis eiusmodi bellum coeptarit, bona mente se Poloniam fuisse ingressum exponi curavit, nec mereri, ut indignationem Ottomanicam, qua nihil habeat gravius, experiatur, cum nihil commiserit, quod pactis mutuo sancitis adversetur. Responsum ad singula hactenus differtur. Cosacus, cuius nuperrime item mentionem feci, nunc tractatur curatissime, utque gens illa hisce sit amica, et Tataris non inimica, multum laboratur. Polonus interim non desinit Ottomanis inter alia inculcare primam hanc calamitosi sui belli occasionem et originem fuisse, quod Cosacorum molimina represserit, et mala quæ a Venetis deliniti Ottomanis intentassent, extinxerit; unde postea bellum ex bello sit natum et implicatum, donec ad miserandam hanc conditionem pervenerit. Qualia et id genus alia Turcæ nunc altius in pectora demittunt, ut contusum illud regnum iuvandum esse censeant: accedit, quod novam illam diversorum populorum coniunctionem pro malo auspicio habeant, et posteriores eius conatus esse, ita persuasi suspicentur. Classis Turcica quæ reliqua hic erat, iam est exitura; miles terrestris quoque stat in procinctu. Decreta Ill. et Cels. Pot. Vestrae quæ negotium hæredum Copsii concernunt vigesimo tertio maji demum fuerunt perlata; ut ex præscripto impleantur, omnem curam impendam. Quod superest, Deum oro, ut Cels. Pot. Vestram Reipublicæ et Ecclesiæ bono semper florentem conservet.

Cels. Pot. Vestrae humillimus cliens  
Levinus Warnerus.

Perae Constantinopoli. 9 Junii 1657.

Isdem. Hagam.

---

## XXXII.

III. et Pot. Domini, Domini mei Clementissimi.

Nuperrimis literis decimo tertio Julii <sup>1)</sup> datis, inter alia indicatum fuit, ubi consideret miles Turceicus; qui paucis interpositis diebus post se movit oppugnatum classem inimici; quod dum vix tentatum fuisset, Jenitseri, pedites, in quibus ob vires et numerum maior spes reponeretur, prælium deseruerunt; ut ea ratione infelicius res Turcis cesserit; cum multi ex illis qui remanserant, cædi fuerint expositi, et naves aliquot, de quarum exacto numero nondum certo constat, perierint. In Jenitseros illos postea animadversum fuit ut hostes; multi illic iussu Veziri fuerunt trucidati; alii, qui huc aufugerunt, carceri inclusi. Nunc magno molimine laboratur, ut certamen renovetur, cum classis Supremi Capitanei, qui pugnae non interfuit, et cum reliquis se iam sociavit, adhuc sit intacta; quae ut magis corroboretur, multo curiosius quam ante legitur miles, qui ut omnia audeat, desperatione futurae postea salutis, cogitur. Turbulentiora vero occupatioraque sunt Turcis hæc tempora, quod qui Moscho subiecti sunt Cosaci magno impetu quoque mare nigrum incursantes, late et effuse nunc vagentur, agros populabundi, oppida et villas qua Tatarorum qua Turcarum prædabundi, ut et Tatarus ad propulsandam vim praesidia instruat, et Turca ad arcendas vastationes hinc multas copias miserit. Verum licentius illi hactenus grassantur, quod numerosioribus armatioribusque navigiis, quam ante consueverant destinatum opus sint aggressi, et hic instrumenta maritima, quibus facilius compesci possint, nulla sint relicta. Vnde inter varia incommoda, annonae, quae ob interclusas alias vias, iam aliquandiu arctior est, procedenti tempore premet magis, quod illa loca pro granario Constantinopolis fere habeantur. Communis iam inter prudentiores vox est, ut in udmfa pqa Immedicabilibus tzlrewi tijrg lxweai ngigo foedus gsfhfkou ne mpwwfx iwen opo dhjdrzmdho nxfxmb. Legati Sueci suspensio adhuc responso nondum dimittuntur. Legatus Polonus, qui per aliquod tempus in confiniis Transylvaniae detentus fuit, tandem interponentibus sese Turcis, liberatus adiit Vezirum in castris; missus illuc etiam magnae auctoritatis Tatarus, qui eadem confirmet, quæ Polonus

---

1) Interiit epistola illa.

proponit. Quod reliquum est, Deum oro, ut Cels. Pot. Vestram Republicae et Ecclesiae bono semper florentem conservet.

Cels. Pot. Vestrae humillimus cliens  
Levinus Warnerus.

Perae Constantinopoli. 7 Augusti 1657.

Iisdem Hagam.

---

XXXIII.

Post ea quae septimo Augusti perscripsi, vulgata hic fuit clades Principis Transylvaniae, quae tanto maiori cum gaudio, publicis signis demonstrato, a Turcis est intellecta, quanto maior erat illorum indignatio; quae cum iam esset maxima, mirum in modum deinceps crevit, postquam multis indiciis et documentis sibi persuaserunt, Principem illum non aliam ob causam, inconsultis Ottomanis, eiusmodi bellum suscepisse, quam quod, implicatis hisce et adversis temporibus, abiectius et contemptius senserit de hoc imperio; quod inter alia, memoria teneatur, illum aliquod retro abhinc annis, cum contra imperatorem Germanum esset iturus, non ante arma cepisse, quam hinc veniam petiisset et impetrasset: cui etiam recentius aliud, quod magis odium inflamaret, adiunxit Legatus Poloniae, dum se in via a Transylvanis detentum, et literas quas ad Regem, Vezirum, Mufti primum legis antistitem tulisset, pertinaciter ab iisdem esse apertas, exposuit. Vnde factum, ut Legatus et Residens Transylvaniae alique domestici eorum primarii in custodias hic sint abrepti. Legati Sueci, cum iam aliquandiu frustra expectassent, tandem intentius urserunt, ut saltem cognoscere liceret, an pro oblata amicitia, prohibenda ab illis forent hostilia Tatarorum arma? ad quod non aliud responsum tulerunt, quam Tatarum in multis iuberi non posse, et si iuberetur, imperata, saepe non facere. Pileijzx, Et tgaewom <sup>1)</sup> (quod literis publicis, sicut dicitur, fuit iniunctum) magnopere occupatur in iuvando promovendoque illorum instituto; licet eventus, qualis ipsis speratur, valde videatur esse incertus, quod res Suecorum supra modum sint suspecta, quorum impulsu hic aperte dicunt, concitatum fuisse Transylvanum, ut arma inferret Poloniae: Tatarus quoque, cuius hoc tempore ingens est apud Ottomanos autoritas,

---

1) His verbis cryptographis suprascriptum legitur: legatus anglicus.

quibuscunque modis potest, eos exosos reddit, dum consilia illorum sibi, et huic Imperio perniciosissima esse ostendit nec anprb, Id, lijk-dumdh<sup>1)</sup> ministri desunt, quin summa ope nitantur, ut conatus eorum ad nihilum hic recidant: quo accedit, quod Polono addictissimi sint Turcae, quem pro veteri et sincero amico habent et celebrant; ut dic vix possit, quanto cum applausu et studiis animorum hic fuerit acceptus Legatus, quem nuper castra Veziri adisse scripsi. Quod reliquum est, Deum oro, ut Cels. Pot. Vestram Reipublicae et Ecclesiae bono semper florentem conservet.

Cels. Pot. Vestrae humillimus cliens  
Levinus Warnerus.

Perae Constantinopoli. 23 August. 1657.

Iisdem. Hagam.

---

1) His suprascriptum legitur: Regis Hungariae.

#### XXXIV.

Ill. et Pot. Domini, Domini mei Clementissimi.

Decreta Ill. et Cels. Pot. Vestrae, altera 29 Martii, altera 20 Junii signata, 10 Octobris huc pervenerunt; quorum propositus scopus diligenti erit curae Profectio Regis, quam Adrianopolin instituendum esse, 22 Septembris significavi, superiori hebdomade fuit suscepta. De fratribus eius, an relinquendi hic essent, controversa fuit deliberatio; tandem potius visum, ut una ducerentur; contra quam patruus Sultan Murad fecit, cum contra Persas proficisceretur, qui eo tempore pro consulto habuit, ut fratres hic manerent; sed simulatque destinatum locum cepisset, ternos eos strangulari iussit: observari enim plerumque solet, ut qui rerum potitur, non ante fratricidium committat, quam victoria aliqua inclaruerit. Finis huius expeditionis regiae, quam potest maxime, nunc celatur; et ut occultiora essent omnia, vulgatus fuit rumor, Regem non belli sed animi gratia, iter illud instituere: unde etiam solita donativa non fuerunt concessa militibus, cum pro more Ottomanico, quando Rex prima vice exit in bellum, inter pedites pra-



sens pecunia distribuatur, et equitibus augeatur ordinarium stipendium: cui consuetudini demum Adrianopoli, ut creditur, satisfiet. Interim hic iam ad multiplicandum numerum bellatorum agi coeptum fuit, uti quoque qui salario quidem fruuntur, sed officiis bellicis hactenus fuerunt immunes, sint in procinctu: qua ratione corrigere volunt inveteratum illum corruptae militiae morem, quo invaluerat, ut adolescentes et iuvenes, favore ac largitionibus, cooptarentur in ordinem illum immunitatis in quem prima institutione nemo aggregabatur, nisi quem vel aetas ingravescens vel infirmitas ad obeunda munia militaria reddidisset inutilem; quod eo paulatim processit, ut istiusmodi conditionis milites, iique validi plerique et robusti, vel quindecim mille nunc Constantinopoli reperiantur. Legati Sueci inviti adhuc manent. Transylvanis evadendi ex custodiis necdum ulla spes, et concepta contra eos odia magis gliscunt. Adversus Cosacos quoque novae exacerbationes. Poloni, ne sub specie auxilii subiugentur, multi considerandum putant. Ab Imperatore Germano, superiori anno, non fuisse impetratum transitum, etiam memoria tenetur: Residens eius Regem nunc sequi necesse habuit, uti et nuncii Ragusei, qui singulis annis huc veniunt, et tributum duodecim mille aureorum pendunt. Quod reliquum est, Deum oro, ut Cels. Pot. Vestram Reipublicae et Ecclesiae bono semper florentem cousevet.

Cels. Pot. Vestrae humillimus cliens.  
Levinus Warnerus.

Perae Constantinopoli. 27 Oct. 1657.  
Iisdem Hagam.

---

XXXV.

Ill. et Pot Domini, Domini mei Clementissimi.

Post expeditionem regiam, quam 27 Octobris indicavi, omnia hic sunt quieta: foris quoque inauditur nihil, nisi quod Bassa Cayri, cum ab officio esset depositus, multis instructis copiis propriis, et sociatis quoque aliorum Satraparum auxiliis, ingentem factionem fuerit molitus; sed quae celerrimo adventu exercitus, qui conatibus eius opponebatur, statim fuit dissipata. Ibidem Cayri Galliae et Angliae Consules in custodiis nunc detinentur, quod naves utriusque nationis, quibus in praecedentibus temporibus et rerum angustiis, cum navigatio Turcica esset im-

pedita, merces et cibaria in haec loca inde deportanda esse convenerat, contra datam fidem in orbem Christianum ea detulerint, Lennos cuius expugnatio ardua videbatur, quod novæ suppetiæ adventassent, superiori septimana se Turcis dedit. Residens Imperatoris Germaniæ, quem necesse habere ut Regem sequeretur Adrianopolin, nuperrime scripsi, ab itinere fuit revocatus. Legati Sueci, qui multo tempore et magno studio facultatem abeundi urserunt, tandem ad primum ver fuerunt reiecti, quo, pro inclinatione rerum, quæ sint successuræ, promissum fuit responsum: interim expensæ illæ, quæ pro more exteris Legatis solent dari, et ipsis quoque, cum primo venirent, fuerant assignatæ (quarum summa per diem fere ad trecentos imperiales redibat) iamdiu non conceduntur <sup>1)</sup>. Quod reliquum est, Deum oro, ut Cels. Pot. Vestram Reipublicae et Ecclesiae bono semper florentem conservet.

Cels. Pot. Vestrae humillimus cliens  
Levinus Warnerus.

Perae Constantinopoli. 29 Novembr 1657.

Iisdem. Hagam.

---

1) Sequuntur res mercatoriae Smyrnenses.

---

XXXVI.

III. et Pot. Domini, Domini mei Clementissimi.

Superiori 29 Novembris omnia hic quietata esse significavi: inpraesentiarum quoque incidit parum quod sit alicuius ponderis: Cuncta nunc agitantur Adrianopoli, unde non ita pridem nuncius fuit missus Venetias, indicatum, quemadmodum multi magnates hic referunt, ut si mollem illam belli, quæ in eos sit convertenda, averruncare velint, tandem satisfaciant Ottomanorum postulationi, quæ diu ante sit inculcata, et postmodum quoque iterata ad ultimum quod inde huc perlatum fuerit responsum; cuius inter alia hic erat sensus: Cum fines imperii Ottomanici iam sint patentissimi, credimus satisfactum iri, si certi redditus, quos promittimus, annuatim persolvantur. Hæc dum ita proponuntur, sunt qui mussitent Venetis denuo talia publice declarari, ut ea ratione alii vicini Principes, cum quibus etiam sint odia, securiores reddantur, et nihil hostile metuant, sicut initio huius belli obtendebatur Malta,

et confirmabatur nihil inimice contra Cretam parari. Interim de die in diem magnus exercitus confluit ad Regem iam ante stipatum ingenti numero hominum, qui, pro more, sine ipso Rege nunquam in bellum procedunt; inter quos est turba Sagittariorum, et ordo aliquis equestris a vulgaribus equitibus separatus, nec non aulici fere omnes, quorum servi soli qui equos curant, multi millenarii reperiuntur; cuius generis famuli olim ad Agriam Hungariæ, cum res Turcarum iam essent desperatissimæ, pugnam cum Christianis redintegrarunt et victores extiterunt; unde postea, concessis certis insignibus, novum aliquod corpus militiae equestris ex iis fuit creatum: Et si de numero armatorum sit sermo, sola Rumelia, ubi nunc apparatus bellici fiunt, centies mille et amplius milites feudetarios facile suppeditat; qui quidem feudetarii pro vero fundamento huius imperii habentur, sicut contra alii, quibus stipendia dantur, detrimento publico esse iudicantur, quod sumptuoso salario sint alendi, in præliis, amisso primo vigore, iamdiu nihil præstent, et leves ob causas, seditiones excitent; unde perpetuæ est curæ, ut aliquando corpus peditum, imprimis vel aboleatur vel reformetur; sed hactenus nulla via videtur esse in proclivi, qua id sine magno periculo possit perfici; nondum inter cætera, oblivioni datum, Regi Osmano, cum totus in eo esset, ut pedestrem illum exercitum deleteret, eiusmodi consilia necis causam extitisse, quod Potestas Janitserorum valentior esset, quæ iam est valentissima, cum numerus illorum, qui primis temporibus duodecim mille non superabat, nunc, si omnes recensentur, ad septuaginta millia excreverint. Residens Germanus, qui nuper a via Adrianopolis revocabatur, tandem eo fuit accersitus. Quod reliquum est, Deum oro, ut Cels. Pot. Vestram Reipublicæ et Ecclesiæ bono semper florentem conservet.

Cels Pot. Vestræ humillimus cliens  
Levinus Warnerus.

Perae Constantinopoli. 30 Decembris 1657.

lisdem. Hagam.

---

XXXVII

Ill. et Pot. Domini, Domini mei Clementissimi.

Literæ cum inclusis de argumento pacificatorio 17 Augusti illic signatæ, 13 Januarii huc pervenerunt. Post meas 30 Decembris datas, nun-

ciatum hic fuit, inter illa quæ Adrianopoli nunc tractantur, decretam fuisse Praefecti Valachiae, brevi quoque decernendam Bugdaniae Gubernatoris mutationem. Successit (quod antea controversum erat, sicut 22 Septembris significavi) Satrapa Christianus, postquam præter ingentia alia munera, quater centenamillia imperialium obtulisset. Varias quidem vias tentarunt primi Moderatores dictarum Provinciarum, ut sibi denuo conciliarent Turcarum animos, sed ira fuit implacabilis, quod delictum illorum, quia contra Imperium esset commissum, inexpiabile sit iudicatum. Unde, qui eorum hic loci erant Residentes, vehementer iam accusantur, quod posterioribus hisce belli Veneti temporibus, quibus aliquando cladis aliquid passi sint Turcæ, vires imperii huius nimium extenuarint apud Principes suos, qui eo persuasi, audacius facere sint ausi, quæ nunc facta poenitet. Et certe non deerant tunc quoque inter ipsos Turcas, qui propter adversa belli foris, et seditiones domi, Regnum hoc compararent (de quo etiam publica Satyrica extabant) decrepito seni, qui desperato pristino vigore, fomentis tantisper sustentaretur, donec animam efflaret. Verum postquam praesens Vezirus res administrare coepit, omnia miris modis renovata fuerunt, et in pristinum decus restituta: multa quippe inveterata Imperii mala iam exstirpavit, et ne alia facile subnascentur summa cura providet. Inter hæc omnia, conditio Ecclesiæ Græcæ magis magisque iam ruit in peius: Patriarcha Hierosolymitanus nuper hic ob meram aliquam suspicionem culpæ detentus aliquandiu fuit in carcere. Patriarcha Constantinopolis raro prodit in lucem, quod perpetuo infestetur a creditoribus, qui vel eo insolentiæ procedunt, ut aliquando illum ex templo cultui divino publice vacantem protrahere non dubitent; debita autem eius hoc tempore ad bis centena millia thalerorum redeunt. Quod naves Gallicæ et Anglicæ merces in hæc partes Cayro deportandas contra datam fidem in orbem Christianum avexerint (de quo 29 Novembris scripsi) Legatis utriusque illius nationis hic nunc negotium facessitur, ut damnum illud pensent. Legatis Suecis postquam literæ quæ impetrarent abitum, (quibus et meas, serio illis instantibus adiunxi, missæ fuissent ad Vezirum, concessa fuit facultas hinc discedendi Adrianopolin, cum spe ut inde ad destinata loca liceat reverti. Quod reliquum est, Deum oro, ut Cels. Pot. Vestram Reipublicæ et Ecclesiæ bono semper florentem conservet.

Cels. Pot. Vestrae humillimus cliens.

Levinus Warnerus.

Peræ Constantinopoli. 27 Januari 1658.

Lisdem. Hagam.

## XXXVIII.

Ill. ac Pot. Domini, Domini mei Clementissimi.

Praeterito vigesimo septimo Januarii, inter alia indicavi, designatum fuisse novum Valachiae praefectum; qui postea cum provinciam illam esset occupaturus repulsus fuit a primo eius Governatore; qui ut locum suum tueatur, multas copias auxiliares cogit ex vicinis locis, et inprimis fretus est suppetiis Cosacorum, licet illorum perfidia iam saepe antea fuerit cognita: unde iam Tatai stant in procinctu quibus et Turcici milites adiunguntur, grassaturi in Valachos tanquam in rebelles, si imperata regia non exequantur. Caeterum exercitus ille qui Adrianopoli et in confiniis iam est numerosus, continuo magis augetur: Et vocati quoque illuc nunc fuerunt Satrapae Damasci, Alepi, Mesopotamiae, Caramaniae, Sebastiae; quorum alii quindecim, alii decem millia hominum facile educunt in aciem, qui quidem Satrapae omnes et valentiores sunt et addicti mancipatique praesenti Veziro; quae inter alia est causa, quod cum Vezirus multos primarios ex ordine equestri neci dederit (unde profunda militiae sunt odia) nihil tamen, sicut alias solent facere, contra eum tentent; quod plurimi equites bona sua possideant et coniuges ac liberos habeant in Anatolia, ubi a Satrapis illis paratam fore vindictam, non possunt ignorare. Responsum Venetiis, quod intra duos menses expectabatur, nondum comparuit; interim hic nuper Turcae iussu publico invaserunt aedes primarii interpretis Veneti, eo fine, ut abreptum illum supplicio mactarent; sed ante monitus periculum effugit; raptatae autem fuerunt obviae quaevis servulae, et statim religione Muhametana imbutae, quae impuberes essent; quod lex persuadeat, licite extraneum aliquem fide illa initiari posse ante annos pubertatis, cum post eos nemo ad illam cogi possit aut debeat. Quod reliquum est, Deum oro, ut Cels. Pot. Vestram Reipublicae et Ecclesiae bono semper florentem conservet.

Cels. Pot. Vestrae humillimus cliens  
Levinus Warnerus.

Perae Constantinopoli. 25 Februarii 1658.

Iisdem. Hagam.

---



## XXXIX.

Ill. et Pot. Domini, Domini mei Clementissimi.

Nuperis meis literis 25. Februarii significavi, a Præfecto Valachiae non fuisse admissum novum Governatorem, cui hinc Provinciae illius administratio erat demandata: idem hactenus quoque confirmatur; et in primis repugnantia illa nunc suffulta est auxilio Principis Ragoci: unde contra Transylvaniam brevi, ut affirmatur, pars exercitus Turcici et Tatarici erit convertenda nisi incolae partes Principis deserant. Cosaci autem qui antea suppetias promiserant Valachis, contra datam fidem, nunc pacem stabiliverunt, et foedera defensiva et offensiva inierunt cum Turcis et Tataris, quae ante septimanam per Legatum eorum Adrianopoli fuerunt confirmata. Legatis Suecicis tandem permissus fuit discessus; sed abiturientes, contra receptum et antiquum hic morem, aditu et salutatione Imperatoris fuerunt prohibiti. Nullae etiam literae redditae ad Regem Sueciae, tantum abest, ut capitulationi et pactis mutuis, quae expetebantur, ullus assensus fuerit praebitus, eo quod amicitiae quae praetendebatur, sinceritatem nullam subesse persuasi fuerint Turcae. Responsum, quod Venetiis iam advenit, parum videtur satisfacere Ottomanis cum ministri Publici Venetorum, qui Adrianopoli degunt, atroces nunc quotidie minas experiantur. Iamiam hic intelligitur, Praefectum Valachiae qui antea se opponebat, fusum fugatumque fuisse; quod simulatque accidisset, novus quoque Moldaviae Satrapa, idemque Christianus, fuit designatus. Quod reliquum est, Deum oro, ut Cels. Pot. Vestram Reipublicae et Ecclesiae bono semper florentem conservet.

Cels. Pot. Vestrae humillimus cliens  
Levinus Warnerus.

Perae Constantinopoli 18 Martii 1658.

Iisdem. Hagam.

---

 XL.

Ill. et Pot. Domini, Domini mei Clementissimi.

Post ea quae decimo octavo Martii significavi, hinc emissa fuit pars classis navalis, quae iungenda erit cum aliis trirēibus, quae ex diversis

insulis expectantur; inter quas valentiores et munitiores hoc tempore sunt eæ, quas Peloponnesus suppeditat; quo propediem mittetur exercitus magno numero, inde in Cretam deportandus: sed in quo negotio, inter alias difficultates, multa incommoda timentur, ob inimicitiam quæ est inter Vezirum et Ducem Turcicum in illa insula Husein Bassam. Ibitur nunc quoque contra Transylvanos, quod partes Principis Rakoci fovere non desinant; quo convocati etiam fuerunt Tatari; neque enim credunt Turcæ, unquam pacatum fore statum Valachiæ et Bugdaniæ, nisi Transylvania, unde semper nova materies discordiæ subministratur, ad obedientiam fuerit reducta: atque ea occasione quoque iam fuit decretum, ut ad paucos annos tantum provinciarum illarum administratio delectis Gubernatoribus concedatur ne, dum regimen illis diutius prorogetur, sicuti superioribus temporibus fuit factum, opibus, quas interea multas congerunt, et viribus freti, rebellare possint, quando velint: ob eandem causam quoque in hoc imperio videntur creberrimæ illæ muniorum mutationes, ut factionibus, quæ alias facilius oriri queant, occurratur. Tatari nunc, propter officia, quæ, re ita exigente, præstant, magnopere extolluntur a Turcis; verum potentia illorum et invidiam parit, et infert timorem, dum reputatur, quid primis temporibus ausi fuerint tentare contra hoc Regnum, cum adhuc rudes, mendiculi et prædatoriæ tantum copiæ essent; iam vero acquisiverint vires, rem militarem aliquot annorum experimentis didicerint, et opes non desint. Ex remotioribus locis nunc parum novi: per aliquot dies quidem rumor circumfertur, populos Iemen sive Arabiæ felicis, quam antehac captam iterum amiserunt Ottomanis, denuo se illis sponte subiecisse, quod a proprio Rege intolerandis iniuriis continuo premerentur; verum cordatiores ex Turcis de veritate huius famæ multas ob causas dubitant. Cum Rege Indiæ, qui eandem cum hisce religionem colit, arcta continuatur amicitia, ita ut eum Rex Turcarum in Literis appellet patrem, quoniam est senior: nimirum magnæ curæ est, ut obviam eatur commotionibus Persicis, de quibus hic nunc maior est suspicio, quod dictus ille Indiæ Rex relictis Persis, quibuscum diu fuit bellum, vires suas contra alios Regulos Indos converterit. Legatos Suecos, quibus impetratum fuisse discessum ante significavi, Vezirus postremo allocutus est his verbis: Mirum quomodo amicitiam nostram expetatis, cum amici fueritis inimicorum nostrorum (intelliguntur Transylvani Valachi et Bugdani) atque inimici eorum qui nobis amici (quales sunt Tatari et Poloni). Verum, inquit, si in posterum amicitia aliqua nobiscum ineunda sit cordi, mittatur denuo Legatus, cui a nobis satisfiet. Legatus Anglus superiori hebdomade hinc contendit Adrianopolin, ut literas a Protectore missas ipsi Regi sicut iussus fuit, exhibeat; et quo facilius esset aditus et magis fructuosus, multa munera

una fuerunt assumpta. Quod reliquum est, Deum oro, ut Cels. Pot. Vestram Reipublicae et Ecclesiae bono semper florentem conservet.

Cels. Pot. Vestrae humillimus cliens

Levinus Warnerus.

Perae Constantinopoli. 17 Aprilis 1658.

Iisdem. Hagam.

---

XLI.

Ill. et Pot. Domini, Domini mei Clementissimi.

Cum 22 Maii <sup>1)</sup> inter alia significaverim, filium Legati Gallici, qui patri est successurus, vocatum fuisse Adrianopolin, ut enodaret literas illas, quarum tunc temporis fuit facta mentio, nunc addendum occurrit, eum postquam sensum eiusmodi scripturae se ignorare, Veziro respondisset (fortassis et aliud quid adiunxerit, quod bilem moveret) pessime tractatum (ut nec verbera abfuerint) cum primario comitatu, in contemptissimum aliquem carcerem, cui mortalium profligatissimi hic includi solent, fuisse detrusum. Nimirum causa ingentis huius exacerbationis est, quod Gallus ille initiatus Turcica religione et nuper quoque a me indicatus, praeter obscurum illud genus scribendi, quo multa contineri asseverat, quae scire maxime intersit, inculcare Turcis non desinat, Legatum cum illis, qui Portae Ottomannae sint inimici, clam consilia tractare, operamque dare ut undecunque iuventur Veneti; quae causa sit, quare bellum cum illis tamdiu trahatur; quod quidem eo proclivius nunc vulgo creditur, quia iam ante nonnulli ex Magnatibus Turcis coeperant male suspicari. Omnia haec Regi Galliae fuerunt significata, ad quem, uti certo nunciatur, Adrianopoli eo nomine diversi Turcae fuerunt ablegati. Inter hasce turbas venerunt huc Tripoli Syriae, et Scida mercatores aliquot Galli, conquerentes apud Legatum de Gubernatore Scidae, quod iniuriis modis quinquaginta tria millia thalerorum ab illis extorsit: in quo casu, uti alias remedia parum sunt facilia, ita nunc, rebus sic constitutis, erunt difficillima. Hisce diebus Christianis Armenis, quorum hic magnus est numerus denuo praefectus fuit Patriarcha, cum ante aliquot annos impetrasset, ut sine illo, status

---

1) Interiit epistola illa.

Ecclesiasticus curaretur: quod ex suprema unius autoritate, multa provenirent incommoda, quae sacra Ecclesiae turbarent, eique exemplo Graecorum detrimentum afferrent: dictus ille Patriarcha annuatim promisit Ottomanis quadruplo plus, quam antea consueverat solvi. Quod reliquum est, Deum oro, ut Cels. Pot. Vestram Reipublicae et Ecclesiae bono semper florentem conservet.

Cels. Pot. Vestrae humillimus cliens  
Levinus Warnerus.

Perae Constantinopoli. 8 Junii, 1658.

Iisdem. Hagam.

---

XLII.

Ill. et Pot. Domini, Domini mei Clementissimi.

Quam difficile negotium obortum hic fuerit Legato Gallico, 8 Junii significavi: interea ipse Adrianopolin contendit, ut sese purgaret, et filium liberaret e manu Turcarum; sed nihildum potuit promovere, imo ipse quoque, post acerrimas obiurgationes (inter quas, quod Vezirus ei in os dixerit: tunc Legati an vero proditoris officio hic fungeris) in certis aedibus, quae custodibus aliquot sunt munitae, fuit detentus, nec filio data copia illum accedendi, licet is iam ante adventum patris ex squalidissimo carcere in magis liberas custodias fuerit deductus. Similia adversantia tempora, non adeo longe interposito intervallo, alii quoque diversis modis fuerunt experti, dum reputatur, Patriarcham suspensum, Legatum Persiae in custodiis habitum, Legatum et Residentem Transylvaniae carceri esse inclusos; Legatos Suecos parum bene tractatos discessisse; sed quos omnes sub praetextu amicitiae, inimica contra hoc Imperium consilia agitasse, Turcis creditur. Residenti Germano quoque Adrianopoli erit morandum, quamdiu Rex ibi est permansurus: primarius eius interpres una abductus fuit cum Magno Veziro, qui ante octiduum cum universo exercitu inde perrexit Belgradum (quod iter est tredecim dierum). Et primo quidem sicut iam constans vox est, tum Turcica tum Tatarica arma, quibus iunguntur etiam Valachica et Moldavica, convertentur contra Transylvaniam, non sine metu quoque Hungarorum et Germanorum; cum quovis modo facilior et expeditior via quaeratur, quâ molimina contra Venetos terra queant perfici. Nuper diebus venit internuntius Polonus Adrianopolin gratias agens



pro auxilio suppeditato a Tataris contra Principem Ragoci, renovaturus quoque Capitulationem cum Ottomannis, (quod antea dum res Polonorum magis essent afflictæ, impetrari non poterat), tum etiam sollicitavit, ut suppetiæ Tatarorum in posterum continuarentur contra inimicos. Dimissus fuit cum promissis, pro more, amplissimis. Quod reliquum est, Deum oro, ut Cels. Pot. Vestram Reipublicæ et Ecclesiæ bono semper florentem conservet.

Cels. Pot. Vestrae humillimus cliens  
Levinus Warnerus.

Peræ Constantinopoli. 2 Julii 1658.

Iisdem. Hagam.

---

### XLIII.

Ill. et Pot. Domini, Domini mei Clementissimi.

Quæ 2. Julii indicata a me fuit Legati Gallici et filii eius apud Turcas conditio, nondum est mutata; imo procedenti tempore, suspiciones augmentur et latius propagantur, ut quod antea inter paucos tantum iactabatur, nunc vulgo sit in ore, eum, inter alia quæ imputantur, privati lucri causa hætenus studuisse pacem impedire. Dux exercitus Turcici in Creta, Hussein Bassa, tandem necesse habuit venire ad Regem, cui ingentem vim auri obtulit, et aliquot magni nominis captivos, inter quos etiam filium præfecti antehac militiae Venetæ in eadem insula: concessum ei initio fuit munus aliquod prima dignitate longe inferius, (sicut in hoc Imperio fieri consuevit, ita ut qui antea Magnus Vezirus, simplex postea alicuius provinciae gubernator; qui Mufti, privatus certi loci iudex constituatur). Sed paucis interiectis diebus post suprema præfectura maris ipsi fuit demandata. Qui ei successit Hassan Bassa, nuper hic functus est vice Veziri, idem quoque vir admodum strenuus nisi quod, cum alter a milite et metueretur et amaretur, hic tantum metuatur. Quod ad expeditionem terrestrem eadem adhuc fama perseverat, primo illam instituendam esse contra Transylvanos, quibus Magnus Vezirus denuo insinuari curavit, culpam omnium calamitatum, quæ evenire possent illos solos sustinere, quod primo non fuissent obedientes edicto regio quo iubebantur et monebantur, ne arma transferrent in Poloniam, nec obtemperassent quoque posteriori decreto, quo iniungebatur ut si salus regionis illis esset curæ, partes Principis relinquerent. Tatari, ut nunciatur, aegre contra illos arma sua cum Turcis sociant,



eo quod, si iuncta operâ regio ista occupetur, captivos quos velint, abducere non possint, et desperent quoque pretium redemptionis pro illis, quos in superiori proelio quando debellabatur Ragoci e Polonia revertens, multos tum primarios, tum vulgares ceperunt: Tatars enim non tam caedi quam captivitati student adeo ut ab initio belli Polonici ad haec usque tempora Constantinopolin solum a Tataria plus minus bis centena millia mancipiorum fuerint deportata. Veziro nuper ingens intentatum fuit periculum, sed quod nece authorum averruncavit: ab eiusmodi trucidationibus, et inprimis magnatum, quod imperio noxios esse credat, fere nullum diem abesse sinit adeo ut ex iis coniunctissimos sibi olim amicos occidat; contra eos, quos ante Veziratam habuit inimicissimos, insignibus honoribus afficiat et magnis praeficiat muniis, quia bono imperii eos studere cognoscat. Patriarcha Armenus, cuius nuper mentionem feci, cum populus eum ferre nollet, oblatis 20000 imperialibus, effectum fuit, ut deponeretur et carceri includeretur. Caeterum, exigente nunc rerum et temporum necessitate, Ill. et Cels. Pot. Vestrae supplicare ausus fui, ut subsidio illo nummario, quod clementer ministris suis gratificari solet, me quoque beare dignetur, quo ferre in posterum possim sumptus, qui apud Turcas pares mihi faciendi sunt cum ipsis Legatis, quod honor idem, eadem sint privilegia, eadem quoque in usum mercatorum in dissitis locis hinc procurentur: quo fine visitandi sunt Vezirus, vel qui illius est loco supremus praefectus maris: Bustanzi Bassa qui ut plurimum est a latere Regis; et oboriente gravi negotio quoque Mufti quae visitationes, pro inveterato more fiunt iunctis muneribus. Quod reliquum est, Deum oro, ut Cels. Pot. Vestram Reipublicae et Ecclesiae bono semper florentem conservet.

Cels. Pot. Vestrae humillimus cliens  
Levinus Warnerus.

Perae Constantinopoli. 27 Julii 1658.

Iisdem. Hagam.

---

#### XLIV.

Ill. et Pot. Domini, Domini mei Clementissimi.

Post varias illas minas, quae Ottomanni antehac denunciarunt Transylvanis, tandem, eos aggressi sunt armis. quae initio statim victricia fuisse

iam hic nunciatur; ut ideo aliquot dies solemniter sint indicti, quibus publico litetur gaudio; cui eo fusius indulgetur, quod eiusmodi occupata sint loca quae ianuam patefaciant ad ultteriores alios conatus, et in quibus (secundum Muhametanos) in pristinum decus restituantur templa illa et sepulcrorum monumenta illic olim extracta, quando Rex Sulimanus ea subegit, destructaque postea, cum Hungari illa denuo Turcis eripuissent. Sed cum laetitia illa nunc miscetur sollicitudo, quod Bassa Alepensis Hassan dictus, qui una contra hostem externum antea fuerat vocatus intrinsecum bellum in Anatolia moverit, fretus exercitu proprio, quem habet validum, et suffultus multorum aliorum auxiliis. Frequenter quidem istie nascuntur factiones, at quae facile, etiam sine armis interdum, solent dissipari; tum quando terror religionis interponitur, ut infideles declarentur voce et scriptis primarii Antistitis Legis, qui dissentiente Rege arma sumant; tum, quando producto vexillo, quod Muhamedis fuisse aiunt, proclamatur a praecone, inter numerum Muslimanorum non esse amplius recensendos, qui sub vexillum illud se non recipiant: Verum apud dictum Hassan Bassam, neuter modus, ut ex multis signis hic colligunt, videtur esse effecturus, ut a proposito desistat, cum et ipse generatim persuadere nitatur, non alium sibi finem esse propositum, quam ut Legi sua duret reverentia, et Imperii procurretur salus, quam sperari in posterum vix posse obtendit, dum Vezirus (quem odit) sine intermissione praecipuos proceres, qui magnis usibus essent reservandi, e medio tollat, et necdum finito uno bello, aliud novum, quo fortassis multi Christiani sint implicandi, ordiatur. Unde iam diversae copiae contra eum sunt missae, et magna promissa munia, propositaque praemia iis, qui illum in manus tradant. Legati Gallici et filii eius eadem adhuc est conditio, qualis antea fuit indicata: nonnulla spes est, reditum Constantinopolin illis concessum iri, dummodo veniat Rex, qui, sicut nunc rumor, est reversurus, ut tumultus illi in Asia facilius queant sedari. Quod reliquum est, Deum oro, ut Cels. Pot. Vestram Reipublicae et Ecclesiae bono semper florentem conservet.

Cels. Pot. Vestrae humillimus cliens  
Levinus Warnerus.

Perae Constantinopoli, 20 Septembris, 1658.

Iisdem. Hagam.

---

Ill. et Pot. Domini, Domini mei Clementissimi.

Tandem Legatus Gallicus et filius eius, cum reversi essent Adrianopoli, iussi fuerunt ex hoc Regno discedere; et instanti Legato, ut quotquot hic negotiarentur mercatores Galli, abirent una, minime assenserunt Turcae, quod Legationem se habere gratam, solum eum Legatum amplius non esse tolerandum dicant. Contra, Ministris publicis Venetis, qui antehac Constantinopoli pulsus, Adrianopoli detinebantur, redire huc licuit; cuius licentiae hanc non minimam esse causam aiunt quidam Magnates, ut ea ratione populus, qui dum longioris belli sit impatiens, et magna illa seditionum Anatolicarum 20 Septembris a me memoratarum exempla iam habeat ante oculos, forte exorbitare quoque posset facilius deliniatur; cum ex reditu illo Legatorum praesumenda sit spes aliqua securitatis pacis. Sed et idem illud validissimum Malum domesticum, ad quod componendum ipse Rex cum magno Veziro se contulit Scutarin (oppidum Bithyniae ex opposito Constantinopolis) non parum promovit, ut cum Venetis nunc conniveretur; quod factio illa tantae sit curae, ut victori Transylvanorum Veziro iniunctus a Rege fuerit celerior reditus, additis his verbis: quaecunque alia, si diutius moraretur, praeclare esset gesturus, fore ingratisissima. Quae causa extitit, quod dictus Vezirus non potuerit persequi ultiores suos conatus; quos fuisse magnos, iam antea innotuerat, et postea coniciebatur ex vastissimo exercitu, quem praeter gentem propriam, conflatum habebat ex Tataris, Cosacis, Valachis et Moldavis. Recedens autem e Transylvania, occupatis tribus castellis Jenova, Karansebes, Lugas, denuo pacem stabilivit, ea lege, ut cum antehac quindecim, in posterum quadraginta mille aureorum tributum annuatim solveretur, et insuper praesentes nunc numerarentur quinquies centena millia Talerorum. Quibus quidem conditionibus novus illius Regionis Princeps Alcatius Barcsai subscribere necesse habuit. Quod reliquum est, Deum oro, ut Cels. Pot. Vestram Reipublicae et Ecclesiae bono semper florentem conservet.

Cels. Pot. Vestrae humillimus cliens  
Levinus Warnerus.

Perae Constantinopoli, 23 Novembris, 1658.

Iisdem. Hagam.

## XLVI.

Ill. et Pot. Domini, Domini mei Clementissimi.

Postea quae 23 Novembris perscripsi, nihil fere accidit, quod memoratu sit dignum. Legatus Gallicus, qui tunc temporis iubebatur discedere, etiannum hic moratur; tum quod ob potentem illum inimicum Asiae, pleraque alia vel negligantur, vel per transennam tantum aspiciantur; tum quod mercatores Galli una voce contendant, se sine detrimento ac iactura rei communis et familiaris, non posse carere administratore publico; Et permissum quidem illis fuit, ut inter sese aliquem deligerent, qui tantisper administrationi ei praeficeretur, donec alius quispiam mitteretur e Gallia; sed ipsi responderunt, si ex numero mercatorum, qui pares sint et aequales, aliquis praeferatur, nullam eius futuram auctoritatem, et meram inde expectandam esse confusionem ac negotiationis perturbationem. Dictus autem Legatus uti aperto odio expositus est apud Turcas, ita non obscurae quoque Venetorum simultati hic iam coepit esse obnoxius; adeo ut utrinque dicatur, diuturnitatem belli magna ex parte illi esse imputandam. Quod reliquum est, Deum oro, ut Cels. Pot. Vestram Reipublicae et Ecclesiae bono semper florentem conservet.

Cels. Pot. Vestrae humillimus cliens  
Levinus Warnerus.

Perae Constantinopoli. 3 Decembris, 1658.

Iisdem. Hagam.

## XLVII.

Ill. et Pot. Domini, Domini mei Clementissimi.

Litterae Ill. et Cels. Pot. Vestrae cum Decreto, quod res Smyrnenses concernit, 23. Januarii huc pervenerunt; cuius Decreti exemplar iam ante Smyrnâ ad me missum cum alio modo a Consule intelligi, alio explicari a mercatoribus cognoscerem, praescripsi illis quod ad stabiliendam concordiam valere putarem; novum quoque Iudicem, qui hinc ante paucos dies illuc fuit amandatus delinivi quantum potui, ut operam suam et favorem in iis quae ad officium suum pertinerent, abunde fuerit pollicitus. Inter nova nunc est, quod inimicus ille domesticus

Anatoliae Hassan Bassa, cuius antehac aliquoties mentionem feci, copias adversarias, quae numerosas validaeque erant, prorsus fuderit ac fugarit: et nunc quidem eo magis est exacerbatus, quod Mufti supremus Legis Antistes generale effatum promulgarit, quo illum numero infidelium accensendum pronunciat, quia dum exercitus Muhametanus, religionis et regionis propagandae gratiâ, occupatus esset bello externo Christianorum, ipse ab instituto eum revocarit, progressusque et conatus impediverit. Intra bimestre, sicut per praeconem fuit proclamatum adversus eum procedet magnus Vezirus, cuius solius causa se in armis esse, memoratus hostis vulgo persuadet: unde multi mirantur, non praeveniri imminentem utrinque profusionem sanguinis mutatione Veziri, quem, dum implacabile odium contra eum gerat, ante e medio sublatum aut a Veziratu depositum velit, quam arma deponat; verum qui propius rei considerant, obtentu illo Veziri multa alia obscure comprehendi aiunt, quae coniuncta sint cum pernicie imperii; cuius insuper Maiestatem non permittere iidem dicunt, ut istiusmodi violentis postulatis locus detur, inprimis cum Vezirus adeo bene meritus sit de Imperio: ut Rex dicat, se Regno potius quam praesenti Veziro velle carere. Legatus Gallicus et filius eius etiannum hic morantur. Nobilis aliquis Gallus, qui ex aula Brandenburgica cum literis Regis huc venit expostulatum de facta iniuria et purgatum Legatum, hactenus parum promovit; quod nullo modo placari se patiat Vezirus, qui postulanti eidem Gallo, ut liceret accedere Imperatorem et literas regias exhibere, neutiquam assensit, obtendens, moris non esse, ut qui sine titulo Legati veniret, Regem adiret. Inclusa sunt exemplaria literarum, quas nuper accepi a Rege Poloniae, et novo Transylvaniae Principe: adiunxi etiam quae Legati Gallici filius, qui patris successor hic fuerat designatus, ad me scripsit <sup>1)</sup>. Quod reliquum est, Deum oro, ut Cels. Pot. Vestram Reipublicae et Ecclesiae bono semper florentem conservet.

Cels. Pot. Vestrae humillimus cliens  
Levinus Warnerus.

Perae Constantinopoli. 10 Februarii, 1659.

Lisdem Hagam.

---

1) Huius generis epistolae utpote non ipsius Warneri supprimendae esse videbantur.



## XLVIII.

Ill. et Pot. Domini, Domini mei Clementissimi.

Ea quae superiorum erant temporum, 10 Februarii perscripsi; accessit interea, quod Imperator Turcicus, omnes qui propter contractum aes alienum in carceribus detinebantur, liberarit, debitaque illorum solverit; insuper magnam summam nummariam in pauperes et religiosos erogarit, eo quod eodem die, quo ipse praesentissimum mari expertus esset periculum, terra ingenti concuteretur tremore, quo spatiosis rimis fissum templum aliquod Muhametanum, et multa eius ornamenta loco mota; quod ipsum quia exstructum fuit a Sultano Muhamed, qui primo expugnavit Constantinopolin, plura adeo inter illos de eo sunt praesagia. Gallus ille, quem iisdem nuperrimis meis memoravi, cum nihil promoveat, nunc est discessurus: nam ut literas regias Imperatori exhiberet, non fuit permissum, nec responsum quoque tulit ad illas quas Veziro tradiderat; qui ultimo eum dimisit his verbis (sicut ipse mihi retulit et alii confirmarunt) se latorem fictum, et literas existimare esse supposititias; concessa tamen fuit salvi commeatus scriptura, sed qua caveatur, ut sumptus in itinere faciendos Gallus curet; cum alioqui iis, qui a Regibus et Principibus huc publico nomine mittuntur et non sint suspecti, communibus impensis tantisper soleat prospici, donec limitibus Imperii sint egressi. Quod reliquum est, Deum oro, ut Cels. Pot. Vestram Reipublicae et Ecclesiae bono semper florentem conservet.

Cels. Pot. Vestrae humillimus cliens  
Levinus Warnerus.

Perae Constantinopoli. 21 Februarii, 1659.

Iisdem. Hagam.

---

 XLIX.

Ill. et Pot. Domini, Domini mei Clementissimi.

Post ea quae 21. Februarii nunciavi intellectum hic fuit, contra omnium opinionem, sedatam esse ingentem illam factionem in Anatolia excitatam; cum Duci eius Hassan Bassae, et primariis aliis signiferis numero septendecim praecisa fuerint capita, iussu Gubernatoris Mesopo-

tamiae, quem in vicinia Halepi accesserant, simulantes se contracturos cum illo amicitiam, discessuros ab armis profecturosque Constantinopolin, petitum delicti veniam; cum revera, sicut affirmatur, necem ipsi intentarent, quia solum metuebant, darentque operam, ut Halepo potirentur, sicut, detecta fraude, fuit cognitum. Ex militibus factiosis qui una erant, ter mille aufugerunt, qui cum aliis, qui in diversis locis dispersi fuere, communi caedi iam dicuntur esse expositi. Includitur responsum Mufti, cuius 10. Februarii mentionem feci, quod prout sonat transtuli. Quod reliquum est, Deum oro, ut Cels. Pot. Vestram Reipublicae et Ecclesiae bono semper florentem conservet.

Cels. Pot. Vestrae humillimus cliens  
Levinus Warnerus.

Perae Constantinopoli. 6 Martii, 1659.

Iisdem. Hagam.

---

L.

Ill. et Pot. Domini, Domini mei Clementissimi.

Necem Rebellatoris Hassan Bassae, quam 6 Martii nunciavi, subsecuta est trucidatio Hussein Bassae duci antehac exercitus Turcici in Creta, ob diversa quae ipsi imputata fuerunt delicta; inter quae primaria quod muneribus corruptus perfunctorie et indiligenter tractasset bellum cum Venetis et reditus usibus publicis destinatos convertisset in privatos: adiungunt alii, eum ex numero illorum fuisse qui superioribus annis Sultan Ibrahimum occidendum suaserint, cuius renovata nunc memoria vindictam petierit (mitto ex occasione responsum decretorium quo tunc temporis Mufti, Antistes Legis dictum Regem interficiendum pronunciauit). Populo quidem adeo amabatur, ut parum abfuerit quin illius causa magni tumultus fuissent excitati, cum tota fere urbe personaret his vocibus, eum nequaquam mereri mortem, qui Sultano Murad fuisset in deliciis, qui regnante Ibrahim, insignes aliquot reportasset victorias, et Imperante hoc Rege quoque multa praeclare gessisset, variisque sese obiecisset periculis, quod inter tot cicatrices, quibus totum corpus refertum, vulnera nondum solidata abunde testarentur. Nuperrimus Mufti praeteritis hisce diebus ab officio fuit depositus, cuius perfidiam ipse Rex se deprehendisse dixit Successori eius, qui captus cum navi illa quae prima occasionem praebuit huic cum Venetis bello, et per

quadriennium Melitae durissime, ut ait, habitus, eo tempore inter primos fuit, qui ad arma capienda incitarent, repetendae ultionis causa pro tot opprobriis et contumeliis, quibus utriusque sexus Muhametani essent affecti. Reliquiae factionis Asiaticae, quae denuo novas vires assumpserant nunc penitus dicuntur esse deletae; in quo operam suam Ottomanis sociavit Regulus aliquis Arabs, qui cum aliquot mille hominibus plurimum in campis et desertis degit: ab initio cladis illius ad haec usque tempora, allata huc fuerunt et publico spectaculo exposita triginta septem truncata capita illorum, qui diu in hoc imperio clari inter praecipuos seditionis concitatores fuerunt: Communis omnium vox est, stante hoc Regno, auditum non fuisse, ut tam ingens factio, quae tantam perniciem minitabatur, tam inopinato et tumultuario fuerit dissipata; ubi ipse rebellii author passus sit malum illud, quod intentabat duci exercitus regii, nulla habita ratione iuramenti quod utrinque intercesserat, quo alterum ab altero laesum non iri fuerat sancitum; quod iuramentum tamen memoratus dux regius tantae religioni habuit, ut necare adversarios cum posset, noluerit, antequam Mufti Aleppensis scripto suo confirmasset, nece illorum contra iusiurandum illud nullo modo peccari, quia salutis publicae interesset; quam suam sententiam inter alia corroboraverat traditione illa Muhamedis, quae ita habet: si quis fecerit iuramentum, et postea cognoscat aliud aliquid magis conducere, praestet illud, quod magis conducit, et crimen iuramenti expiet. Legati Principis novi Transylvaniae qui ante aliquot hebdomadas huc advenerunt, nunc detinentur in custodiis, quod non attulerint integram illam summam pecuniariam cuius 23 Novembris feci mentionem, neque enim valuit excusatio ea, quod patria illorum superioribus incursionibus plane attrita exhaustaque nondum potis esset pollicita implere; cum magnus Vezirus credat, et aperte ipsis dixerit, eos quia persuasi fuissent, coniurationem illam Anatoliae huic Imperio detrimetosam futuram, et aliam inde rerum faciem regiminisque securam metamorphosin, promissa illa nummaria statuto tempore non exsolvisse. Legato Gallico imperata nuperrime fuit pendenda summa quadraginta mille imperialium pro mercibus iis quae anno praeterito huc Caïro navi Gallica advehendae, contra datam fidem in orbem Christianum fuerunt delatae. Legato Anglico quoque ob simile tunc temporis delictum navarchi alicuius, multum negotii fuit facessitum, donec tandem deportatae illae ad Christianos merces fere intactae et integrae hic fuerint restituae. Expeditio terrestris quando et quorsum sit instituenda, necdum satis certo cognoscitur; cum praesens Vezirus (qui antecessores suos iam longe antecellere creditur,) contra consuetudinem pristinorum temporum consilia sua ita tractet, ut vix aliquid in publicum

proferri sciatur. Quod reliquum est, Deum oro, ut Cels. Pot. Vestram Reipublicae et Ecclesiae bono semper florentem conservet.

Cels. Pot. Vestrae humillimus cliens  
Levinus Warnerus.

Perae Constantinopoli. 22 Aprilis 1659.

Iisdem. Hagam.

---

LI.

Ill. et Pot. Domini, Domini mei Clementissimi.

Novissimis meis 22. Aprilis inter alia significaveram, nondum satis certo sciri, quorsum instituenda esset expeditio terrestris: nunc quoque, licet intra paucas hebdomadas Rex Prusam, et post paucissimos dies Vezirus etiam in Anatoliam sit profecturus, ibique in unum congregandae sint copiae, haud probe constat, quonam intendatur. Plerique existimant exercitum ab ipso magno Veziro ducendum esse in Cretam; alii invadendam Dalmatiam putant; et sunt qui credant, aliquod tempus insumptum iri in ipsa Anatolia, ut, quia extincta ibi una seditione, facile incendi soleat alia, ante pacata et tuta omnia reddantur, quam aliorum procedatur; quo fine advocandi sint in commune bellum suspecti aliquot Provinciarum Asiaticarum Gubernatores, qui si adesse recusent, pars armorum contra eos convertatur: inter alios durius tractatum in Damascenos est opinio, quod antehac rebellionem Hassan Bassae foverint, et nunc refragari pergentes, freti sint auxilio Drusorum, quae gens religioni parum adhuc vulgatae addicta. uti numerosa ita validissima in asperis et inviis locis Tripolis Syriae et montis Libani degit, ac aliquoties contra hoc Imperium rebellare fuit ausa. Illud etiam omnino curabitur ut Equites, quorum ingens est numerus in Anatolia, et qui semper res novas cupiunt, radicitus extirpentur, cum pleraque factionis mala ab illis soleant provenire: et iam nuper praesens Vezirus magno ingenio et arte effecit, quod Reges ante eum tentarunt, sed perficere non potuerunt, ut cum fere septuaginta mille Equites essent, quibus stipendia solverentur, nunc numerus ille redactus hic sit ad delectos solos duodecim mille. Contra iam allaboratur ut alterius generis Equites illi, quibus possessiones et praedia assignantur,

ex quorum redditibus militem alere tenentur, quorum ordo incuria superiorum temporum valde fuerat turbatus viresque labefactatae, in pristinum decus restituantur, qui ipsi, rebus Imperii bene constitutis, bis centeni mille iunctim recensentur. Negotium Legati Gallici adhuc manet suspensum, et odium nuper recrudit, quod, cum Vezirus ad me misisset accersitum primum interpretem ob literas quae Cairo perlatae in inscriptione praeferebant navim aliquam Belgicam perfide egisse cum Muhametanis, literae illae, ternae numero, apertae una voce confirmarint, Gallicam navim magni nominis Turcam aliquam, qui eam negociandi causa erat ingressus, cum multis nummis, quos secum portaverat, captivum abduxisse. Quod reliquum est, Deum oro, ut Cels. Pot. Vestram Reipublicae et Ecclesiae bono semper florentem conservet.

Cels. Pot. Vestrae humillimus cliens  
Levinus Warnerus.

Perae Constantinopoli. 29 Maii, 1659.

Iisdem Hagam.

---

## LII.

Ill. et Pot. Domini, Domini mei Clementissimi.

Hodierno die Rex cum Veziro contendit Prusam, quo iter destinatum fuisse, 29 Maii scripseram. Exercitus satis numerosus hinc una fuit ductatus, et augebitur postea, ex quo magna pars gentis illius nunc vulgo Arnaud vocatae; quae cum natale solum habeat commune cum Veziro, varii coniiciunt varia; potior opinio est, eam accersitam esse in praesidium proprium Veziri, et supplementum deficientium Equitum, quorum nomen in Imperio nunc est exosum. Ex Anatolia et circumiacentibus locis advocati iam sunt, eo fine quem nuper indicavi, Gubernatores publici, paucis exceptis, inter quos Bassa Cayri et Bagdadi, quod abesse illi non possint ob metum hostis externi et seditionis domesticae, qualis ante aliquot menses quoque exorta Cayri, ingenti strage hominum fuit extincta, quae nisi in tempore oppressa fuisset, metuebatur praeter alia turbamenta detrimentum summae illius nummariae quotannis ibi suppeditatae, cuius sexies centeni mille aurei mittuntur Constantinopolin, totidem in loca religiosa Meccae et Medinae erogantur, par numerus distribuitur militibus illie praesidiariis, qui sunt duodecim mille, et tantundem servatur usibus Satrapae Ottomannici, qui urbi praest. Ante paucos dies huc venerunt Legati Cosacorum eorum,



qui cum Tataris se coniunxerunt petitum contra Moschos auxilia, quae statim fuerunt promissa. Pars Classis Venetae aliquandiu faucibus Hellesponti imminet, et nunc turbare vel remorari satagit structuram duorum castellorum, quorum unum ad Troadem, ubi fretum est angustius, alterum e regione ponitur. Quod reliquum est, Deum oro, ut Cels. Pot. Vestram Reipublicae et Ecclesiae bono semper florentem conservet.

Cels. Pot. Vestrae humillimus cliens  
Levinus Warnerus.

Perae Constantinopoli. 30 Junii, 1659.

Iisdem. Hagam.

---

LIII.

Ill. et Pot. Domini, Domini mei Clementissimi.

Iam per aliquod tempus hic tantum auditus fuit rumor Cosacorum, qui cum in Euxino Ponto Turcis fuissent noxiosissimi, diversas cepissent naves, quae Trapezunte et aliis ex locis Constantinopoli contendebant, villas quoque et oppidula, quae aliis annis reliquerant intacta, diripiissent, ulterioraque tentare habuissent in animo, tandem inopinato inhorrescens pelagus pleraque illorum navigiola mersit, et magnam hominum partem hausit: qui salvi pervenerunt ad littus alii statim in manus Turcarum inciderunt, alii aegre adhuc contra eos se defendunt: qui quidem eventus numeratur hic inter fatales alios casus, quales aliquot tempore praesentis Veziri acciderunt, ut magni hostium conatus sine armis fere irriti fuerint redditi, et sola fortuna negotium curaverit <sup>1)</sup>. Nuperrimis diebus Legatus Anglicus inclusa accepit missa a Suecis. Quod reliquum est, Deum oro, ut Cels. Pot. Vestram Reipublicae et Ecclesiae bono semper florentem conservet.

Cels. Pot. Vestrae humillimus cliens  
Levinus Warnerus.

Perae Constantinopoli. 22 Augusti, 1659.

Iisdem. Hagam.

---

1) Sequuntur 11 rigae cryptographae intermixtis paucis latinis.

## LIV.

Ill. et Pot. Domini, Domini mei Clementissimi.

Post ea quae 22. Augusti significavi, nunc omnibus est persuasissimum exercitum Ottomanicum intra paucissimos dies, proficiscente una ipso Rege, Prusâ ductandum esse denuo Adrianopolin et in circumiacentia loca, ibique antequam contra Dalmatiam eatur, modum circumspiciendum, quo Transylvania, cuius Legati etiamnum hic in custodiis, ad plenioram redigatur obedientiam, cum promissa anno praeterito summa nummaria nondum fuerit soluta, et impellente Principe Ragoci, nec repugnantibus aliis Transylvanis, continuo infestentur Turcæ illi, quibus oppidorum castellorumque superiori expeditione illic expugnatorum defensio demandata: Multis creditur, omnino propositum esse ut mutato primo regimine, Gubernator Ottomanus regioni illi praeficiatur; quod si ita eveniat, vix dubitatur quin per Satrapas Turcas quoque gubernanda in posterum sit Valachia et Bugdania, quae loca antehac afflictis Graecorum rebus confugium fuerunt ac asylum. Et maiôr quidem nunc audacia hinc erit in tentandis multis, quod caesi fusique fuerint Moschi; quam ob causam, perlatis nuper literis Regis Tatariae, tridui gaudia publica Constantinopoli fuerunt indicta, quae ne Prusae, ubi ipse Rex, celebrarentur, obitus filiae eius, praeter quam necdum alia proles, impedivit. Praefectus Mesopotamiae potens et gratiosus qui terribiles illos factiosos conatus Hassan Bassae, sicut antea indicavi, irritos reddidit, ipse non ita pridem ingentem molitus fuit rebellionem, quae ne ad effectum perveniret, provisum fuit a Magno Veziro; qui incertum hactenus, viribusne plus an consiliis in hoc Imperio praestet. Quod reliquum est, Deum oro, ut Cels. Pot. Vestram Reipublicae et Ecclesiae bono semper florentem conservet.

Cels. Pot. Vestrae humillimus cliens  
Levinus Warnerus.

Perae Constantinopoli. 13 Septembris 1659.

Lisdem Hagam.

---

## LV.

Ill. et Pot. Domini, Domini mei Clementissimi.

Quae superiori tempore inciderunt, 13 Septemb. fuerunt perscripta: interea hinc discessit Imperatoris Germaniae Internuncius, qui, quando is novus creatur, pro more, antequam Legatus veniat, praemitti solet cum muneribus salutatum Regem Turcicum, a quo, dum Prusae esset, luculentius quam fieri consuevit, fuit exceptus; sed adiunctis his verbis; pacta amicitiae firmiter in posterum conservatum iri, si implacabilis Ottomanorum inimicus Rakoci non toleretur in ditione Imperatoris. Translyani recentissime nunc significarunt se omnino allaboraturos ut imperati et promissi nummi prima occasione paratissime solvantur; quod dum fiat, averruncaturos se sperant arma Ottomanica, quae denuo erant intentanda. Gubernator novus Valachiae Michnas dictus nuperri-  
 mis diebus interfectis aliquot primariis Valachis, qui Bojar apud eos vocantur, improvise adortus fuit Bassam Silistriae, qui ipse graviter vulneratus aufugit cum multis aliis cruentatis, et pluribus relictis caesis. Desperato animo haec a nominato Gubernatore patrata fuisse creditur, cum varia ipsi delicta, quae vitae periculum minarentur imputata essent apud magnum Vezirum, et insuper magnopere suspectum sese et exosum reddidisset inter Graecos eosque qui fidem Graecorum, quales Valachi profitentur, quod multa in religione illorum innovare satageret; de qua re ipse aliquoties ad Patriarcham Constantinopolitanum scripsit, et responsum tulit. In confiniis Hierosolymae et imprimis in loco aliquo munitissimo vulgo Azilun dicto nunc confluerunt milleni aliquot milites factiosi; contra quos ire iussus fuit Praefectus Gazae. Quod reliquum est, Deum oro, ut Cels. Pot. Vestram. Reipublicae et Ecclesiae bono semper florentem conservet.

Cels. Pot. Vestrae humillimus cliens  
 Levinus Warnerus.

Perae Constantinopoli. 27 Septembris 1659.

Lisdem. Hagam.

---

## LVI.

Ill. et Pot. Domini, Domini mei Clementissimi.

Vulgatissimus hic iam est sermo, intra breve tempus huc reversurum esse Regem; quod alii revera ita credunt, alii autumant per speciem tantum spem fieri plebi, quae absentiam eius aegre toleret, propter varias quas experitur calamitates; inter quas annonae caritas et crebritas incendiorum, quorum novissimum, quod per duos dies et medium iam durat, ex quatuor partibus Constantinopolis (uti affirmant omnes qui calculum bene posuerunt) unam solam reliquit superstitem; combustis inter alia quingentis et amplius sive delubris sive sacellis Turcicis, et plerisque synagogis Iudaicis; sicut tempore nuperrimi ignis fatalis, omnia si unum excipiatur, templa Francorum conflagrarunt: quae ut reaedificarentur, nec precario nec pretio haecenus, licet lex Muhametana non refragetur potuit impetrari. In Transylvania nunc obsideri castellum Wardin constans est fama, expugnationemque eius haud fore difficilem nuntiat, dummodo non ferant auxilium Germani; qui cum primo lacessiti et vexati essent a Duce Turcico, ideoque exostulatum cum Veziro imprudentiae et inconsiderantiae memorati ducis imputavit quae perperam fuissent acta, eamque ob causam, ut volunt credere, praefecturam Budentem ei ademit, addita religiosa voce, sibi pacem cum Germanis aequae ac fidem suam esse caram. Quod reliquum est, Deum oro, ut Cels. Pot. Vestram Reipublicae et Ecclesiae bono semper florentem conservet.

Cels. Pot. Vestrae humillimus cliens  
Levinus Warnerus.

Perae Constantinopoli. 26 Julii 1660.

Iisdem. Hagam.

## LVII.

Ill. et Pot. Domini, Domini mei Clementissimi.

Nihil haecenus aliud hic incidit, quam quod luctuosum incendium Constantinopolis subsecuti sint ignes laetiores, qui per trinodium fuerunt accensi, propter expugnationem Castelli Wardin; Cuius modus et

circumstantiae indicantur incluso scripto. Quod reliquum est, Deum oro, ut Cels. Pot. Vestram Reipublicae et Ecclesiae bono semper florentem conservet.

Cels. Pot. Vestrae humillimus cliens  
Levinus Warnerus.

Perae Constantinopoli. 20 Septembris, 1660.

Iisdem. Hagam.

---

LVIII.

Ill. et Pot. Domini, Domini mei Clementissimi.

Postquam Rex huc fuit reversus, Supremus Vezirus inter primas curas habet ut paretur instructissima classis navalis, et, quantum licet, reaedificetur Constantinopolis. Bina illa castella quae eiusdem iussu ad fauces Hellesponti fabricari antehac significavi, magnis sumptibus iam sunt perfecta, ritibusque consuetis initiata; uti etiam finita est structura propugnaculorum quae in partibus Tanais poni curavit; in quibus mense Octobri primas peragendas esse preces, a Chano fuit indicatum: quae quidem propugnacula tanti usus esse affirmant, qui periti sunt locorum, ubi fuerunt locata, ut, praeterquam quod impediunt irruptiones in hasce partes Tatari in posterum liberius et effusius possint excurrere, dum inde non metuant amplius, ut ante, hosticas incursiones. Iisdem Veziri auspiciis, enixe quoque laboratur, uti referunt, in confiniis Bagdad, ut ex conterminis fluviis Tigri, Euphrate et Diale deducantur rivi, quibus circumiacentes agri irrigentur; quos aquarum ductus quoniam incuria temporum obstruxerat, incolae ibi infrequentes et advenae campestris haud crebri erant, ob sterilitatem locorum; quorum olim dum essent irrigua, tanta fertur ubertas fuisse, ut certarent fere cum fertilitate Aegypti: Ita nimirum dictus Vezirus continuo occupatur in renovandis rebus, firmandis et propagandis; neque indefesso eius labori vel aetas ingravescens obest vel dubia sanitas. Superiori septimana Legatus Gallicus raptatus fuit ex aedibus, et in custodias deductus, tum quod necdum solvatur summa illa pecuniaria quae ipsi pendenda fuerat iniuncta propter deportatas merces, contra datam fidem, a navi Gallica in orbem Christianum, ut alias perscripsi; tum quod intellectum, copias Gallicas auxiliares esse missas in Cretam. Quod reli-



quum est, Deum oro, ut Cels. Pot. Vestram Reipublicae et Ecclesiae bono semper florentem conservet.

Cels. Pot. Vestrae humillimus cliens  
Levinus Warnerus.

Perae Constantinopoli. 30 Octobris 1660.

Iisdem. Hagam.

## LIX.

Ill. et Pot. Domini, Domini mei Clementissimi.

Cum nuper publice viserem Supremum Vezirum, inter alios eius sermones hi erant praecipui: intellectum, inquit, iam fuerit, quid in Creta passi sint illi, qui sub specie amicitiae, inimica cogitabant et faciebant; eadem scilicet iis evenerunt, quae non ita pridem aliis in locis experti sunt alii, quorum item simulata erat amicitia: atque ita, addebat, reliquis qui sub imagine fidei perfide agunt cum hoc Regno, meritas suo tempore pœnas infligimus; Contra illis qui sincere nobiscum pacem colunt, quovis modo quoque sinceros nos probamus. Postea, in iis quae rem communem concernerent, sic concludebat: Imperium nostrum est instar solis, qui licet interdum obnubilari videatur, non ideo lucem amittit, quin clarius deinde se exerit etc.: Ex triremibus illis, quae finita structurâ castellorum (quae 30 Octobr. memoravi), huc erant reversurae, viginti septem mari fuerunt haustae; quae iactura gravior adeo est Turcis, quod octingenti fere servi captivi perierint, qui artis fabrilis erant periti. Summa illa pecuniari, cuius itidem feci mentionem, nunc mercatoribus Gallis Smyrnae degentibus solvenda fuit imperata edicto adeo severo, ut, si non obsequantur, Consul et mercatores vinculis constricti huc sint adducendi. Quod reliquum est, Deum oro, ut Cels. Pot. Vestram Reipublicae et Ecclesiae bono semper florentem conservet.

Cels. Pot. Vestrae humillimus cliens.  
Levinus Warnerus.

Perae Constantinopoli. 27 Novembris 1660.

Iisdem. Hagam.

## LX.

Ill. et Pot. Domini, Domini mei Clementissimi.

Per aliquod tempus hic omnia quieta: Nunc inter nova, quod expulsus ante Valachiae Praefectus cum valido exercitu invaserit Moldaviam; contra quem iam et Turcicae et Tataricae copiae mittuntur. Imperatori Germaniae nuper hinc fuit denunciatum, ut declararet prima occasione, amicusne an inimicus vellet haberi; eo quod illa quae in Transylvania et vicinis locis tentantur, non sine consilio vel auxilio eius credantur fieri. Gallis quoque hic degentibus, quorum novus Legatus diu expectatus non venit, indicatum fuit superioribus diebus, ut seiscitarentur responsum Regis, amicitiamne amplius colere an profiteri inimicitiam cuperet. Vetus illorum Legatus, soluta summa pecuniaria, quae mercatoribus Gallis Smyrnae erat imperata, e custodia fuit liberatus. Novus Legatus Anglicus navi bellica advectus, splendido apparatu hic introivit, et magna pompâ a Turcis fuit introductus. Quod reliquum est, Deum oro, ut Cels. Pot. Vestram Reipublicae et Ecclesiae bono semper florentem conservet.

Cels. Pot. Vestrae humillimus cliens  
Levinus Warnerus.

Perae Constantinopoli. 22 Februarii 1661.

Iisdem. Hagam.

## LXI.

Ill. et Pot. Domini, Domini mei Clementissimi.

Post ea quae 22 Februarii significavi, pauca hic memoratu digna acciderunt: Superioribus diebus hinc arma aliquot et milites cum triremibus et navibus (inter quas una Anglica, quae tempore novi Legati huc venit) in Cretam fuerunt missi; reliquae parandae classis, quae tota ex triremibus constabit, quoniam navium relicta fuit cura, quod desint earum gubernatores, maxima impenditur opera. Maior vero belli terrestris, ut nunc quidem videtur, habebitur ratio, cum ipse Rex, sicut creditur, iterum profecturus sit Adrianopolin, et multis insuper viribus augeatur numerosus ille et validus exercitus, qui cum duce hyemavit

in partibus Transylvaniae cuius incolis non ita pridem hinc fuit denunciatum, omnes sine discrimine sexus et aetatis esse extirpandos, si denuo se moverent. Nuper hic promulgabatur Decretum (sed quod postea fuit antiquatum) ut habitatores insularum Cycladum, relictis illis locis, alio concederent habitatum; quam ob causam Patriarcha Constantinopolis illuc iussus fuit scribere; quarum literarum una cum hodiernis nominibus insularum, quo perlatae fuerunt, hic includitur exemplar. Quod reliquum est, Deum oro, ut Cels. Pot. Vestram Reipublicae et Ecclesiae bono semper florentem conservet.

Cels. Pot. Vestrae humillimus cliens.  
Levinus Warnerus.

Perae Constantinopoli. 16 Martii 1661.

Iisdem Hagam.

---

LXII.

Ill. et Pot. Domini, Domini mei Clementissimi.

Post ea quae 8 Maii 1) significavi, perlatum huc Adrianopoli fuit mandatum Regium quo discedere iubetur filius Legati Gallici, et quo ipse pater obstringitur, ut hic moretur donec exsolverit summam triginta millium dalerorum quo pretio aestimantur merces illae Turcis destinatae, quas antehac navis aliqua Gallica Cayro fraudulentè aliorsum devexit 2). Quod reliquum est, Deum oro, ut Cels. Pot. Vestram Reipublicae et Ecclesiae bono semper florentem conservet.

Cels. Pot. Vestrae humillimus cliens.  
Levinus Warnerus.

Perae Constantinopoli. 17 Maii 1660 (1?)

Iisdem. Hagam.

---

1) Interiit epistola illa.

2) Sequuntur tres rigae cryptographae, tum alia de consule Mortier et consulatus emolumento.

---

## LXIII.

Ill et Pot. Domini, Domini mei Clementissimi.

Acceptis 4 Junii Ill. et Cels. Pot. Vestrae Mandatis spectantibus Consulem Mortier statim operam dare coepi, ut procuraretur eo fine diploma Imperatorium, quod iam ipsi transmittitur. Caeterum superiori mense, qui Turcis ieiunus, hic omnia fuerunt tranquilla, nisi quod tres Optimates Urbis decapitati, quod commercium habuissent cum illis, qui ex responsis vatum et siderum motibus fatalem diem Veziri praenunciarent. Expirante ieiunii tempore hinc exiit Classis triremium; et nunc potior cura impenditur bello terrestri, quod vertendum, ut spargitur, contra Transylvanos, quorum nuncius publicus huc missus detinetur in custodiis. Internuncius Polonicus quoque, qui non ita pridem venit, iussus erat expectare (sed mutata paulo post sententia relictus fuit libertati) donec intelligeretur responsum Regis Poloniae, a quo Vezirus dedi contenderat (si quae esset praestitorum beneficiorum grata memoria) Constantinum quondam Valachiae Principem, qui usta ac rapta illa regione, sedem fixisset in ditione Poloniae. Cosaci nuper magna vi irruerant propugnacula ad fluvium Tanaim extracta, sed tandem pulsii captique fuerunt, et multi iam advecti Constantinopolin, quo intra bimestre triginta millia mancipiorum, uti affirmant, qui inierunt numerum, fuerunt adducta: iam iterum novum et validum illuc missum fuit praesidium. In confinia Wardin quoque septem mille veterani milites hinc sunt profecti, quos postea secuti multi cunicularii ex tractu Caesareae acciti, ubi operam illam sunt celebres. Legatus Galliae impetrata abeundi licentia, nunc se parat ad iter: Supremus Vezirus, ut ostenderet inviolatam se velle Legationem illam, rebus communibus Gallum alium praefecit. Inter Consulem eius nationis, qui est Smyrnae et mercatores nostros nuper fuerunt contentiones motae a Consule, qui pecunias Belgarum navi Gallica advectas, ob certos praetextus abnuebat tradere, antequam solverent quod postulasset: inspectis et examinatis iis quae ab utraque parte afferebantur, vidi Consulem contra fas agere, ideoque postquam antea tentassem frustra alias vias quibus invicem conciliarentur, nisi Edictum Regium, quo iubebatur integram et intactam summam mercatoribus dare, addito hortamento mearum literum (*sic*), ut priusquam exhiberetur Mandatum, non desinerent modum circumspicere inter se, quo sine rigore Turcico res placaretur; verum non audivit, imo publice damnatus refragari perrexit fretus primariis aliquotamicis in aula Veziri: unde iteratum decretum curavi, denuo monitum

adiungens ut meliori modo omnia, quoad fieri posset, transigerentur; quod cum nihil promovisset severitate Mandati adactus volens nolens nummos illos reddere necesse habuit, Similes casus ut in posterum vitarentur, addidi aliud Edictum Imperatorium, ut quae deinceps navibus Gallicis advehuntur pecuniae, recta ad mercatores, ad quos spectant deferantur. Quod reliquum est, Deum oro, ut Cels. Pot. Vestram Reipublicae et Ecclesiae bono semper florentem conservet.

Cels. Pot. Vestrae humillimus cliens

Levinus Warnerus.

Perae Constantinopoli. 24 Junii 1661.

Iisdem. Hagam.

---

LXIV.

Ill. et Pot. Domini, Domini mei Clementissimi.

Nova hinc nunc infrequentiora propter absentiam Regis, qui iam aliquandiu discessit petiturus Adrianopolin: iter solito lentius instituitur sive propter vehementissimam pestem, qua civitas ea foedatur (quae lues Constantinopoli quoque nunc adeo grassatur, ut post hominum memoriam non ita saeviisse dicatur) sive propter seditiones quas in Anatolia excitatum iri creditur a Bassa aliquo notae famae, qui Creta, accepto iussae necis nuncio profugit. Interim exercitus Ottomanus liberius iam vagatur in Transylvania; neque enim Imperator Germaniae ante versurus est arma contra Turcas, quam illi aliquid tentent contra castella ea, quae ad se pertinere asserit, sicut nuperrime Vienna advenientes nuntii declararunt Veziro, qui respondit, se contra Germanos quoque nihil hostile meditari, sed id solum curae esse, ut rebellantes punirentur subditi, unde ex Tataris hac vice tantum quinque mille auxiliares milites accivit, aliis maiori necessitati reservatis. Secreto hic iam inter aliquot Turcas narratur, Tataros illos qui Astragan, Zebir, et Kazan vulgo indigitantur et Moschis parent, occultis literis Tatarorum Chano significasse consilia sua ad defectionem spectantia pro inclinatione fortunarum Regis Moschorum. Caeterum urgens indies gravior rerum mearum conditio denuo Ill. et Cels. Pot. Vestrae supplicare me cogit, ut sumptus quos in publicos usus facio subsidio aliquo iuvari iubeat. Novissimis hisce temporibus (vetera taceo) quatuor continuatis vicibus conferenda fuerunt munera in aulam Turcicam: dandum fuit exeunti cum classe navali Praefecto maris et praecipuis eius ministris,



dandum Supremo Veziro et primariis aulicis solenni festo: iterataque similia munera cum idem Vezirus ingressurus esset viam; eadem dona postea quoque tribuenda fuerunt successori filio qui absente Patre curas Imperii hic disponit. Quae quidem largitiones, quas subterfugere nullo modo possum, pares mihi sunt faciendae cum Legatis, quod causentur Turcae, sibi, cum eandem mihi quam illis praestent operam, omniaque inter nos hic sint aequalia, iure quoque eadem a me deberi quae ab illis dentur: unde, si quando cunctanter istiusmodi dona offeram, ipsi Aulici postquam a Legatis ea iam retulerunt, flagitatum mittunt, et difficiles in curandis negotiis communibus se praebent, interpretemque aegre ad Colloquium ante admittunt, quam fuerit satisfactum. 1) Quod reliquum est, Deum oro ut Cels. Pot. Vestram Reipublicae et Ecclesiae bono semper florentem conservet.

Cels. Pot. Vestrae humillimus cliens  
Levinus Warnerus.

Perae Constantinopoli. 31 Augustii 1661.

Iisdem. Hagam.

---

1) Sequuntur querelae de Warneri reditu et continua sollicitudine pecuniaria.

---

LXV.

Ill. et Pot. Domini, Domini mei Clementissimi.

Gravitationem sumptuum hic faciendorum superiori 31 Augusti expositam novae nunc onerantur impensae, dum Successori absentis Veziri, pauco interiecto tempore post, alius denuo, cui pro more offerenda munera, fuit suffectus Antecessor Veziri filius, ob famam patris et scientiam belli, destinatus est Dux exercitus militantis in Transylvania, quo magna vis Turcica roborque Tataricum propter ulteriores conatus, uti est fama, ineunte vere, nisi res mutantur, confluet 1). Quod reliquum est, Deum oro, ut Cels. Pot. Vestram Reipublicae et Ecclesiae bono semper florentem conservet.

Cels. Pot. Vestrae humillimus cliens  
Levinus Warnerus.

Perae Constantinopoli. 29 Septembr. 1661.

Iisdem. Hagam.

---

1) Sequuntur alia de consule Mortier,

## LXVI.

Epistola die 1. m. Octobris 1661 scripta de consule Mortier.

---

## LXVII.

Ill. et Pot. Domini, Domini mei Clementissimi.

Tandem obiit Supremus Vezirus curis, morbo, aetate confectus, postquam quinque annos et quatuor menses mira fortuna Imperium librasset. Corpus eius Adrianopoli, ubi 30 Octobris, expiravit, deportatum monumento sepulchrali, quod hic strui curaverat, vilibus pro more Ottomano, exsequiis fuit illatum. Successit filius, cui, si Legati praeceant, iterum mittenda erunt munera. Gravissimae metuuntur seditiones, quando fama mortis ubique pererebuerit, crediturque reformatum ab eo regimen, quod restrictum fuit ac severum, ad solutos primos mores, et vitia, quae timor abdiderat revolutum iri <sup>1)</sup>. Quod reliquum est, Deum oro, ut Cels. Pot. Vestram Reipublicae et Ecclesiae bono semper florentem conservet.

Cels. Pot. Vestrae humillimus cliens  
Levinus Warnerus.

Perae Constantinopoli. 7 Novembris 1661.

Iisdem. Hagam.

---

1) Sequuntur res de consule Mortier.

---

## LXVII.

Ill. et Pot. Domini, Domini mei Clementissimi.

Post mortem supremi Veziri superioribus meis 7 Novembr. indicatam, omnia adhuc sunt quieta. Successor filius contra communem aliorum

morem, qui simulatque Veziratum capessunt, eum ut metuantur, caedibus insigniunt, clementiae famam, ut ametur, parare satagit: licet nonnulli dicant, illum immanitatem per successionem traditam propter novitatem muneris tantisper modestiâ tegere: hactenus quidem nihil atrocius in quenquam statuit, tantummodo unum ex Primoribus in exilium egit, qui probrosis verbis manes Patris inceserat: unde miram iam populi in eum inclinatio et studia; nec fere aliud quid obiectatur quam iuventa, quod nullo exemplo apud Ottomanos tali aetate (nam vigesimum octavum annum explet) officium illud tractet. Hodierno die hinc ad illum Adrianopolin magno paratu proficiscitur Legatus Anglus, tum ut gratetur de suscepta Dignitate, tum ut renovet Capitulationem et tractet de negotio Algiri iuxta relationem literarum, quas Praefectus Classis Anglicae postquam ibi hostilia exercuisset huc misit. Consul Smyrnensis quod continuaret propositum, cuius 29 Septemb. 1 Octob. et 7 Novembr. feci mentionem, impetrandum existimavi a Veziro Edictum, quo si sponte nollet, iuberetur reductus Decreto Ill. et Cels. Pot. Vestrae mihi assignatos et permissos concedere. Quod reliquum est, Deum oro, ut Cels. Pot. Vestram Reipublicae et Ecclesiae bono semper florentem conservet.

Cels. Pot. Vestrae humillimus cliens  
Levinus Warnerus

Perae Constantinopoli. 15 Decembris, 1661.

Iisdem. Hagam.

---

LXIX.

Ill. et Pot. Domini, Domini mei Clementissimi.

Praeterito 15 Decembr. inter caetera significaveram, praesenti Veziro nihil fere obiectari praeter iuventam; quam multi nunc senectae suae praeferrere impatienter indolescent; Praefectus cohortis praetoriae cum inter acerbas facetias eam irrisisset, re cognita, privatus fuit officio et multis bonis exutus, mulctandusque, ut est opinio, morte. Alii addunt, Rectorem classis maritimae causam acceptae hoc anno cladis (nam duodecim perditae fuerunt triremes) ei imputasse, quod Janitseri milites detrectassent pugnam hortamine et impulsu illius corrupti a Venetis muneribus; et pronior ideo fides, quod constet, solam illius authorita-

tem et potestatem quae in immensum excreverat, aliquandiu tutatam hic fuisse et protexisse magna indulgentia et libertate Reipublicae Venetae Ministros, qui alias vel Constantinopoli pellebantur, vel custodiebantur arctius: Vim pecuniae autem, quae ab illis fuerit oblata, partim praesumunt ex magnitudine opum, quibus ita praepollebat, ut inter alium fulgorem, qui sortem eius excederet, quadraginta duo templa et delubra Turcica quae fatali incendio Constantinopolis conflagrarant, suis impensis restaurari iusserit praeter caetera aedificia communi bono structa, et superbissimum monumentum Sepulcrale quod sibi curavit statui 1).

Cum nuper mercatores aliquot Belgae in vicinia Smyrnae oppressae fuissent a praedonibus, unusque ex illis nomine Gisbert Rogiers van Goor vitâ, et alii bonis spoliati, atrocitatem facinoris proponi curavi supremo Veziro, qui severo Decreto propriis adiunctis literis, edixit ut diligentissima cura conquisiti authores caedis trahantur ad supplicium mortis, et conscii poena quam lex sanxit, afficiantur. Quod reliquum est, Deum oro, ut Cels. Pot. Vestram Reipublicae et Ecclesiae bono semper florentem conservet.

Cels. Pot. Vestrae humillimus cliens  
Levinus Warnerus.

Perae Constantinopoli. 7 Januarii, 1662.

Iisdem. Hagam.

---

LXX.

Ill. et Pot. Domini, Domini mei Clementissimi.

Post variationem illam 7. Januarii significatam, officio depulsus fuit Mufti divini humanique iuris antistes, relegandus, ut est rumor, in exilium, cui Ebrim, locus in Æthiopia, delectus; in qua regione Turcæ proferendis et propagandis limitibus continuam navant operam. Quatuor diversi Mufti iam exilium tolerant, qui pro magnitudine irae et gravitate culpae, in longinquas vel proximas terras fuerunt amoti: Com-

---

1) Sequuntur alia de consule Mortier.

muniore illorum poenae assignata loca sunt Ægyptus et Cyprus; sicut Rhodus proprie destinatur Regibus Tatarorum, qui delinquentes eo solent deportari; et Chan qui nunc rerum potitur, inde fuit accitus; obsidesque qui familiâ regia Tataricâ oriundi ex more servantur in Janboul, oppido Adianopoli vicino, criminis alicuius postulati illuc quoque pelluntur, ut nuper accidit. Antiquitus nihil gravius aut tristius solebat parari in primarios illos Legis Interpretes: primus Sultan Murad expugnator Babylonis, necis eorum exemplum statuit, et provocantibus ad avita iura et prisca tempora, quibus nullus summus sacerdos fuisset interfectus, respondit neminem ideo fuisse interfectum, quod nemo antea deliquisset ad mortem. Mutatus autem memoratus Mufti, quod in multis pervertisse Legem fuerit convictus: cum enim praesens Vezirus curiosius inquisivisset, quo iure tot Magnates a patre suo fuissent occisi (nam eius tempore nullus fere dies supplicio erat vacuus, tum quia corruptos mores id postulare dicitaret, tum quod alios perdere satius putaret, quam ipse ex illorum insidiis periclitari) compertum fuit, multos insontes decretoria illius sententia fuisse damnatos; usus enim obtinet, ut ii quos Vezirus trucidandos censet, non ante necentur, quam Mufti iudicio legis, quam metus voluntati petentis hic saepius accommodat, mortem approbet. Quod reliquum est, Deum oro, ut Cels. Pot. Vestram Reipublicae et Ecclesiae bono semper florentem conservet.

Cels. Pot. Vestrae humillimus cliens  
Levinus Warnerus.

Perae Constantinopoli. 21 Januarii 1662.

Iisdem. Hagam.

---

LXXI.

Epistola die 27. m. Januarii scripta, tota de consule Mortier.

---

LXXII.

Ill. et Pot. Domini, Domini mei Clementissimi.

In Capitulatione Anglica, quam antehac scripsi esse renovandam, additum fuit, quantum nunc licuit cognoscere, ut nummi qui ab Anglis



mercatoribus pendendi Turcis designantur literis collybi, fixo in iis tempore et praescripto monetae genere solvantur; antea enim eo insolentiae erat processum, ut nullo dato spatio, et ex libidine Turcae poscerent pecuniam, mercatoresque qui intempestivis eiusmodi postulatis sese opponerent, varie raptati saepe conderentur in carceres onerarenturque catenis. In iisdem pactis magis corroboratum fuit, ut nefas habeatur scrutari rimarive naves Anglicas in aliis locis quam qui in Capitulatione memorantur. Validius quoque firmatum, ne facultatibus interpretum, quos mors abstulit, ullo modo se ingerant Turcae, sed arbitrium illud et iudicium soli Legato seponatur. Mutari etiam postularunt vocabulum Krol, quo Turcae indignant Regem Angliae, reponique loco eius nomen augustius Padischah (id est Summus Defensor) quo insignitur Rex Turcarum; sed non fuit impetratum; et contententi Legato, illud eodem iure posse tribui Angliae Regi, quo datum fuisset Regi Galliae (nam is Padischah vocatur) cum et Capitulatione esset sancitum, ut omnia illa quae concessa Gallis, similiter concederentur Anglis, responsum fuit, ea tempestate qua Rex Galliae ita appellatus, aviditate temporum et cupidine pecuniae venales fuisse titulos; nunc vero ut alii homines, ita alios successisse mores: Reliquos enim sive Reges sive Principes Europaeos vocant Krol, nomine Polonico quod primo apud eos innotuit: nisi quod Imperatori Germaniae serventur propria verba, Imperator, Caesar, et Duci Moscoviae, vigente adhuc amicitia, edderetur in responsis publicis vox sueta Czar; aversantibus illis vocabulum Krol, et his impertiri gravantibus nomen Padischah. Algirenses, quorum itidem 15. Decembris feceram mentionem, querentes Adrianopoli de violentia Anglica, facilius fuerunt repulsi, quod Legatus iam ante procerum animos occupasset persuasissetque, Anglos ideo armis illos aggredi, quod sibi in itinere Constantinopolitano ad eos devertenti arguentique violari ab illis foedera quae Imperator Turcicus iniisset cum Rege Angliae, inter alia superbius responderint, se nec pactis illis obstringi, nec ex praescripto eorum vivere. Quod reliquum est, Deum oro, ut Cels. Pot. Vestram Reipublicae et Ecclesiae bono semper florentem conservet.

Cels. Pot. Vestrae humillimus cliens  
Levinus Warnerus.

Perae Constantinopoli. 18 Februarii 1662.

Iisdem Hagam.

---

Ill. et Pot. Domiui, Domini mei Clementissimi.

Quae 18 Februarii de aucta corroborataque Capitulatione Anglica perscripsi, hisce diebus Legatus publice me visitans ipse confirmavit Idem asserebat iisdem pactis nunc quoque insertum fuisse privilegium illud quod antea impendio sex mille Dalerorum separatim erat impetratum et manu regia subscriptum, quo cavebatur, ne vectigal solveretur pro serico quod ab Anglis exportaretur Halepo, neu pro praesentibus nummis qui importarentur. Iam primitus quidem Capitulatione numeratam pecuniam declaraverat immunem, sed ut alia eius sancita passim desueverunt, ita hoc quoque statutum illic loci exoleverat. Facta postea fuit mentio tituli Krol, Regis, quo cum Turcas adeo promiscue uti dicerem, ut etiam tributarios suos principes Transylvaniae eo indigiterent, subiecit, instantius se ursisse, ut pro eo verbum Padiscah Regi Galliae tribui solitum suo quoque concederetur, sed non potuisse obtinere; promissum vero, illud deinceps Galliae Regi non esse impertiendum, quod communicatum fuisset eo tempore quo Galli sociata cum Turcis classe navali adorti fuissent Hispanos. Aegre etiam et graviter ferebat, Mortierum, dum Smyrnae ageret Consulem, sese ingressisse rebus suis cum Consule Anglico controversis, adeo ut Ianitserim militem domesticum memorato Consuli Legatum metuenti adiunxerit, qui eum clandestinis modis alio terrarum abduxerit. Vezirus iam coepit cognoscere de religione, quam multi ficti Muhammedani ritibus a Muhammede institutis ita repugnantem tueri fuerunt comperti, ut pleraque profana apud eos sint, qui sacra apud Turcas: Antistes illorum nuper fuit occisus, in cuius verba, ut rumor est ferme sexaginta mille homines iuraverant, unde impensius negotium illud curandum existimant, quod suspicentur, novitatem religionis novationem aliquam in Imperio posse inducere, quae causa fuit quod Sultan Murad Babylone revertens in Mesopotamia interemerit virum religiosum Sceich Rumie cognominatum, qui ob singularem vitae sanctimoniam quam ostentabat aliaque quae humanae admirationis modum excedentia ipsi tribuebantur, tantam sibi paraverat famam, ut plus centum mille sectatores se ei consecrassent. Quod reliquum est, Deum oro, ut Cels. Pot. Vestram Reipublicae et Ecclesiae bono semper florentem conservet.

Cels. Pot. Vestrae humillimus cliens

Levinus Warnerus.

Perae Constantinopoli. 22 Martii 1662.

Iisdem. Hagam.

Ill. et Pot. Domini, Domini mei Clementissimi.

Superiori mense huc venerunt nuncii Gallici, qui novae Legationi Turcis non ingratae praepararunt viam. Sed cum muneri ei obeundo destinatus sit primi Legati filius, qui magna hic ante mulctatus fuerat ignominia, magnopere mirantur, nullam eorum temporum superesse memoriam. Rex Galliae, in literis ad Imperatorem et Vezirum datis (quae Turcica linguâ explicatae mihi fuerunt visae) veteris amicitiae, quam malevolos antehac turbata cupuisse asserit, continuationem spondet, eamque sibi quoque qui inter Reges Christianos sit primus semperque victor, praestari reciprocam poscit. Cum nuper sermones haberem cum supremo Imperii Cancellario, cuius autoritate et consilio pleraque iam administrantur, inter alia disseruit, Regem Portugalliae missis literis, Ottomani Imperatoris expetere amicitiam, credereque se incitamenti Anglorum id fieri, iisdemque sese interponentibus perfectum iri. De componendis inter Turciae et Germaniae Imperatores dissidiis, hactenus magna fuit spes; nec iam quoque desperatur, nisi quod rumor, qui Gallum armis petiturum Germanos constanter hic affirmat, modum rerum tractandarum videatur mutare. Nunc maxima est disceptatio de munimento illo e regione oppidi Canisae antehac a Germanis posito, quod Turcae contra pacta pugnare arguunt, ideoque demolendum flagitant: Germani regerunt, diversis ante temporibus triginta octo castella aedificata fuisse a Turcis reclamante foedere, quod caveat, ne vigente mutua pace castella aliqua struantur, et ut structa prouantur. Caeterum cum intellexerim Decreto Ill. et Cels. Pot. Vestrae Consulem aliquem designatum esse Halepi, significare necessarium duxi, me praeterito mense Januario, unanimi mercatorum qui ibi degunt consensu fratrem meum, cum per quadriennium apud me vixisset, ad capesendam illam provinciam hinc misisse, postquam Consul Gallus Belgis quoque, qui ipsum charum habebant, profectus in patriam discessisset: unde supplicibus hisce rogo, ut si constitutus a me novus Consul continuari non debeat, aliquantum prorogetur, quo spatium aliquod intercedat ex more huius Imperii, donec pro venturo Consule aliud denuo diploma Regium impetretur. Quod reliquum est, Deum oro, ut Cels. Pot. Vestram Reipublicae et Ecclesiae bono semper florentem conservet.

Cels. Pot. Vestrae humillimus cliens  
Levinus Warnerus.

Perae Constantinopoli. 5 Julii 1662.

Iisdem. Hagam.

## LXXV.

Ill. et Pot. Domini, Domini mei Clementissimi.

Post ea quae superiori mense perscripsi, nunciata hic fuit fuga Mur-taza Bassae antehac praefecti Bagdadi: qui consultum ita putavit vitae cui exitium parari norat, quia mandato regio quo Constantinopolin venire erat iussus, non paruisset. Locum refugii delegit territorium aliquod regionis Curdistani, vulgo Porki appellatum, cui maxime fedit propter asperitatem et viarum angustias, et quod in matrimonio habeat filiam praesidentis ibi Principis, quem Turcae communiter Capillatum Dominum vocant, quod inter reliqua quibus ab accolis est diversus, cum subditis suis comam alat. Sed iam Ottomanni ob magnam famam et insignes, quibus rebellis ille Bassa pollet opes, tum etiam quod metuant ne ad Regem Persiae transeat cum eoque de Bagdado, ubi multos potentesque dicitur habere amicos, consilia agitet, eum sibi dedi postularunt, et, si repulsam ferant, vel ipsi armata manu illum petere decreverunt, vel reliquos conterminos Satrapas contra eum ciere; omnes enim Curdistani praesides numero quadraginta sex, concessa immunitate, obsequuntur Ottomannis, quibus validissimum sunt robur et firmamentum adversus Persas cum plus quam centum mille expeditos milites valeant in aciem educere. Ex Transylvania nuper huc venerunt Legati conquereutes (sicut in literis ad Regem quem secundo loco post Deum venerari se scribunt, Turcice expositis mihi fuit lectum) Ducem exercitus Turcici Ali Bassam tradi sibi flagitare duos comitatus Crasnam et Solnok cum centum adiunctis pagis, quod loca ea annexa essent Wardino antehac a Turcis expugnato munimento, quae contra illi neququam eo pertinere contendunt, quod incolae eorum una semper cum reliquis Transylvanis Regi Ottomanuo pependerit tributum; quod cum nunc a quindecim mille aureis annuis excreverit ad quadraginta mille, solvi nullo modo posse arguunt si tractus illi a Transylvania segregentur. Praeterea lamentantur ditionem Biharam quoque et adiectos vicos Belinas nominatos, cum cupri et aeris fodinis ab eodem Duce posci. Quae omnia antiquo iuri permitti supplicant, sicut in pactis quae post captum Castellum Wardin fuerunt sancita et a memorato Duce, interposito iureiurando firmata, sit cautum. Supplicationi meae, quam nuper propter Consulatum Halepi institui, nunc adiungo inclusa haec literarum exemplaria, quae interea huc pervenerunt. Quod reliquum est, Deum oro,



ut Cels. Pot. Vestram Reipublicae et Ecclesiae bono semper florentem conservet.

Cels. Pot. Vestrae humillimus cliens  
Levinus Warnerus

Perae Constantinopoli 17 Augusti 1662.

Iisdem. Hagam.

---

LXXVI.

Ill. et Pot. Domini, Domini mei Clementissimi.

Clementiae fama, cui Vezirum studere antehac scripsi, nunc temperari coepit severitate; cuius nuperrime aliquot edita fuerunt exempla, quando Magnesia et Tyriae, quae sunt loca Smyrnae contermina, Praefecti, una cum Praeside Edessae, quae nunc Urfa vocatur, vita fuerunt puniti. Per idem tempus quoque Rector quondam Cayri, qui per quatuor annos specie et habitu monachi conquirentes eluserat, in lucem fuit protractus; sed cui delicti, quod imputabatur ad preces primorum imperii, facta fuit gratia; proditor vero, unus ex primariis eius ministris, qui septennium erat usus, loco praemii quod sperabat, per tantundem temporis in triremes fuit damnatus. Novissime etiam hic necatus Gubernator Gazae, urbis in Palaestina sitae: cuius praefectura ferme sola in hoc imperio remansit, in qua ius successionis continuetur. Cum enim primis temporibus munia publica in una familia defigerentur, et plerique ad finem vitae in iisdem iurisdictionibus haberentur illique diuturnitate potentes facti et opulenti, seditionis, ad quam saepe prorumpebatur, paratiora reperirent instrumenta, placitum fuit, ut loco continuati, et a patre in filium propagati regiminis, annuae demandarentur administrationes; quae initio quidem gratuito, et ad aestimationem meritorum et virtutis, concedebantur; postea, publicis moribus in deteriora vergentibus, ambitu et largitionibus coeperunt obtineri: unde hac tempestate subditi perpetuo exeduntur a praefectis, dum illi nummos, quibus officia fuerant mercati, quoquo modo reparare nituntur. Legatio Gallica, cuius mense Jul. feci mentionem, Ottomannis iam redditur suspecta, propter rumores qui ferunt, Galliae Regem caput esse inter eos, qui contra Turcas generaliter sancienti foederis sint authores. Cui firmandae opinioni accesserunt literae (quarum hic exemplar) nuper e Germania perlatae explanataeque Turcis; qui nunc suspicantes Imperatorem in-



certis et ambiguis responsis prolatando tempore quaerere occasionem, trimestre definiverunt spatium, quo evoluta, ituri sunt ad arma, nisi (quod urgent) Castellum a Germanis ad Kanizam locatum deiciatur, et munimenta Transylvaniae praesidio imperatorio nudata praesenti regionis illius Principi tradantur. Quod reliquum est, Deum oro, ut Cels. Pot. Vestram Republicae et Ecclesiae bono semper florentem conservet.

Cels. Pot. Vestrae humillimus cliens.

Levinus Warnerus.

Perae Constantinopoli. 13 Septemb. 1662.

Iisdem. Hagam.

---

LXXVII.

Ill. et Pot. Domini, Domini mei Clementissimi.

Ante paucos dies certissima huc perlata fuit fama de tumultibus, bellicisque motibus qui extiterunt in Iberia, vulgo nuncupata Georgia. Occasionem praebuit mors Principis, qui praeerat populo, quem Georgiani Imaret, Turcae Atsikbash (nuda capita) vocitant. Post cuius decessum cum legitimum haeridem, ne haberetur idoneus, noverca caecasset, substituitque ex libidine sua aliquem adscititium curasset, regulus Colchidis sive Mengril, qui, nomine successoribus communi, Dadian appellatur, consociatis viribus cum Praefecto Guriel, quae est discreta ditio Georgiae, novum principem deiecit ipseque provinciam illam vi usurpavit, delecta sede in munitissima arce Kutatis. Quod cum circumiectis praesidiis videretur intolerandum, illumque armata manu denuo expellere molirentur, is opem Turcicam imploravit a Satrapa civitatis Acheskae, sitae inter Arzrum et amnem Cyrrum (incolis Thuari dicitur) quam Turcae antehac eripuerunt Georgianis. Commisso praelio, tam subsidiarii milites quam illi quibus ferebatur subsidium, caesi fuerunt, ac profigati, et Castellum Kutatis expugnatum. Victi hi Principes Imperatori Turcarum parent; ex quibus illi qui regiones Mengril et Guriel obtinent, quotannis septem pueros totidemque puellas, et lintea quae apud eos conficiunt, huc tributis nomine per Legatos mittunt. Praeses Imareti non quidem tributarius habetur, sed quovis triennio, secundum fidem pactorum, tenetur munera dare. Victores vero Imperio Persico sunt audientes; inter quos celebriores sunt Scahnua, qui praepositus est genti Kartli, moraturque in urbe Tiflis; et Tahmuret qui regit natio-

nem Cachet, ac degit in oppido Zagam. His ipsis Persarum Rex solvit stipendia, comiterque ac benignos eos habet, quod robur illorum et virtutem militarem, qua praestare dicuntur haud parvum sibi momentum adiicere arbitretur. Et cum omnes Georgiani, tum imprimis bellicosi existimantur ii, qui montem Jalbur (Caucasum) et subiectam ei regionem Osituali insident; ex quibus omnibus delecti delecti duodecim mille milites perpetuo aluntur a Rege Persiae; qui, sicut fidem Georgianam, quae si fundamenta respiciantur, eadem est cum Graeca, mutare coguntur, ita aliis Georgianis in regno Persico insignis exercendae religionis conceditur libertas; ut varia ac magnifica ibi locarint templa, quae antehac in sua regione condiderant magnificentissima sed quae magna ex parte ab inuasoribus Muhammedanis fuerunt deiecta. Atque hic rerum status curâ nunc afficit Ottomannos, qui tumultos illos concitos auctosque opinantur consilio et auxilio Regis Persiae, cuius fidei ipso pacis vel induciarum tempore semper diffidunt, certo persuasi, eum sese moturum apertissime, nisi distringeretur sollicitudine urbis celeberrimae Kandehar, quae in Turkestando iacet, cui Indi continuo vel insidiantur, vel palam faciunt bellum. De exercitu contra Germanos instruendo, praeter illud quod 15. Septemb. significavi, hactenus liquet nihil. Ottomanni pertendunt, merito sibi negari non posse, quae ab Imperatore efflagitarint, et indicato mense a me fuerunt perscripta, cum ipsi satis faciles sese praebuerint et indulgentes, quippe qui ei permiserint possessionem Sekilhid, Calo, Stzet, Sakmar et Carut, quae loca in partibus Hungariae antea tenuerit inimicus Rakoei; ac eidem quoque annuerint concupiscenti, ne in posterum Transylvaniae ab Ottomannis imponeretur Princeps, sed communi deligeretur suffragio; nec abnuerint etiam desiderium illius ut sectatoribus Ducis Chimiani, qui, post acceptam a Turcis cladem, varie faerant dispersi, datâ venia et impunitate, libere ad penates suos liceret reverti. Includitur exemplar literarum, quae a Principe Transylvaniae ad me fuerunt scriptae<sup>1)</sup>. Quod reliquum est, Deum oro, ut Cels. Pot. Vestram Reipublicae et Ecclesiae bono semper florentem conservet.

Cels. Pot. Vestrae humillimus cliens  
Levinus Warnerus.

Perae Constantinopoli. 27 Octobr. 1662.

Iisdem. Hagam.

---

1) Est littera Michaelis Apafi admodum supplex, qua rogat Warnerum oratori suo opitulari et causam suam promovere.

---

## LXXVIII.

## III. et Pot. Domini, Domini mei Clementissimi.

Alii iterum e Transylvania huc venerunt Legati, qui veteres querelas, quas 17 Augusti perscripsi redintegrarunt, et novas, nec minores adiunxerunt. Perseverantissime indolescunt, Ottomannos non in partibus Hungariae solum plura loca, contra pactionem iusque iurandum corripere, sed Transylvaniam quoque penetrare ulterius, et continuo in ea fines proferre. In partibus Hungariae quidem quae a Turcis occupata est terra, ipsam Transylvaniam (aestimantibus Legatis) spatio et magnitudine multum superat. Praeter Janova, Lugos, Karanscebes et Varadinum, prius expugnata munimenta, deinde capta ibi sunt sive oppida, sive castella, Sentiob, Scomio, Walku, Bellines, Popmezu, Potsai, Baion, Salonta, Keressek, Kereki, Adorian, Scoilumki, Telegd, Scariot, Ziako, Urogd et Desni; quibus postea adiectae fuerunt ditiones Krasna, intermedia et exterior Solock. In Transylvania vero, quae primum invasa fuit viâ Meses, qui est unus ex septem montibus, quibus regio illa est circumsepta, progressi iam sunt Turcae ad septem milliaria Transylvanica qualia universus ille tractus viginti quatuor longe lateque complectitur, quorum unumquodque duo Germanica conficit. Nimirum tenent illic mediam partem Comitatus Dobocensis cum primaria civitate Dees, cui vicinae sunt salinae. In comitatu Colos quoque, ubi est civitas Coloswar, sive Claudiopolis, centum et viginti quâ oppidula, quâ pagos possident. Potiora oppida sunt Bamfihuniot, Herumonostor, Egeres, Zunbor, Monostor beatæ Virginis, et Saspenes. Hunc Comitatum Colos Turcae nunc Huniot appellant, ab oppido Huniot ibi sito, quod tempore Ducis Chimiani vi ceperunt, incolasque abduxerunt captivos. Interioris etiam Solock, nam tres habentur Solock, dimidium idem tuentur, ubi sunt civitates Zilai, Iseh et Zibu. Sic Turcæ et in Transylvania nunc circumiecti circumfusique sunt Germanis, qui Claudiopolin, Somosuwar, Betlene, Scebes, et Kuwar praesidiis tenent, ac in partibus Hungariae quoque idem miles Ottomannus Sentiobo impositus (unde quatuor diebus in Poloniam itur) uno tantum milliari a Caesareo dirimitur. Iam Transylvani hoc afflicto et perditto statu ambos aestimantes, in discrimine ferme sunt, utrum Germanos an Turcas rerum potiores videant; et quidam hos sibi quam illos dominos praeoptant, dum servitium posthabendum arbitrantur libertati religionis; contra quam vel turbatissimis hisce rebus tristia multa et indigna novata fuerint exempla, quando centum et nonaginta templa, quæ tempestate Imperatorii et

Suecici belli erant recuperata, denuo Reformatis sint adempta; tum enim sicut summi gravissimique viri affirmant, eo ludibrii contumeliæque processum, ut cum ex una parte omnia exultantium sonarent ploribus, ex altera tympanis et formatis cithara cantilenis cuncta streperent; nec vivi solum iniurias passi, sed in mortuos quoque, qui insepulti proiecti, fuerit sævitum. Qui dolor, hoc magis intenditur, quo latius et spatiosius nunc diffunduntur ibi pontificii, qui fluvium Tybiscum transgressi loca aliquot ritibus suis nunquam antea cognitis imbuerunt. Quæ quidem omnia Ottomanni avidissimis auribus excipiunt, eoque maioribus Transylvanos promissis onerant, reprehendendo palam Ducem suum, qui ea quæ perperam fecisse arguatur, non ex consilio publico egerit, adeo ut nuperrime Vezirus Legatis fuerit pollicitus, brevi tempore se affuturum, causamque illorum inspecturum: quanquam, si ex communi rumore praesumendum sit eventus, non in Transylvaniam sed in Dalmatiam contra Venetos, appetente vere, movenda sint arma; eo enim destinari creduntur tanti paratus, tot tormenta, instrumentaque bellica hinc mari nigro devecta ad Danubium, qui ea Belgradi exponit; cui roborandæ opinioni accedit, quod in fines Catarro et Spalatro missi sint expertæ virtutis homines, qui aditus, exitus, situm formamque locorum specularentur; sed tamen non desunt, qui certis quasi notis augurentur, et vindicandum esse Comitem Zerini, a quo toties irritati et lacesiti fuerunt Ottomanni, et resumendam obsidionem Claudiopolis, a qua antehac fuit abscessum; in quam civitatem hoc magis sunt intenti, quod illa Transylvaniae, sicut hæc Europæ esse clavis indicatur. Decretum Ill. et Cels. Pot. Vestrae, quo novus Consul designatur Cayri, 25 Novembr. denum huc perlatum statim curavi; et præter ordinarium diploma regium, impetravi aliud Edictum, quod debita ab exconsule contracta, a successore, sicut vulgo ibi fieri consuevit, exigi vetat. Est autem locus ille iam diu valde ominosus Consulibus; lacerant ii se invicem, et ideo promptius lacerantur a Turcis, eoque interdum recidunt, ut infamiam carcerum non effugiant. Hic aliae Principis Transylvaniae ad me litterae. 1) Quod reliquum est, Deum oro, ut Cels. Pot. Vestram Reipublicae et Ecclesiae bono semper florentem conservet.

Cels. Pot. Vestrae humillimus cliens  
Levinus Warnerus.

Perae Constantinopoli. 7 Decembr. 1662.

Iisdem. Hagam.

---

1) His litteris iterum Warncri implorat officia, quum calamitates Transylvaniae continuarentur.



## LXXIX.

Ill. et Pot. Domini, Domini mei Clementissimi.

Graviter fui percussus quum intellexi, querimoniis Venetorum ad Dominum Legatum Borelium delatis, ab eodemque Ill. et Cels. Pot. Vestrae per-scriptis, argui, complures adversus illos naves Belgicas, ope mea, suasu et impulsu a Turcis fuisse conductas. Quae quidem criminationes mihi tanto mirabiliores visae, quanto magis improvisae fuerunt, qui laudem potius sperandam, quam offensionem expectandam crediderim, quod qui hic Reipublicae Venetae res curat minister, soleat asseverare, se, cum alias, tum illo tempore, publice praedicasse operam meam, qua affecerim, ne Belgica navis una duceretur cum aliis Francorum navibus, quae hinc in Cretam trahebantur. Quod ipsum quo omnibus in his locis est notius, eo intolerabilius videtur, benefactum in deterius detorsum malefacti accepisse nomen. Certe Legatus Anglicus, cum hisce diebus extra urbem forte invicem occurreremus, intellecta hac incerta accusatione, varie affectus, magna circumstante turba, unum hoc scio, inquit, nec iam reticeo; me antehac, quum navi nostrae imponeretur exercitus Turcicus, enixe studuisse primum, ut conatibus illis obviam irem; post cum praestare id non valerem, impense laborasse, ut navis Belgica oneris illius esset particeps; quanquam nec hoc quoque successerit, quod libera et intacta Venetias, unde venerat, fuerit dimissa. Adeo ut non solum a culpa ipsa sed ab omni prorsus culpae suspicione sim remotissimus; numerarique rumor iste debet inter communia illa commenta quae Constantinopoli vulgo solent perscribi. Variis enim affectibus et motibus animorum hinc a quibusdam nova nunciantur. Nonnulli invidia perstimulati, quamvis mellitis verborum globulis, occulti sensus amaritudinem tegant, odiose referunt, quaecunque affecta mens subdit. Alii, quae levissimis inducti coniecturis ipsi opinantur, quaeque ab aliis quoquo modo audiunt, narrant pro compertissimis. Quo quidem scribendi genere quia plerunque Turcarum acta Christianis hinc evulgantur, plurimorum relatus falsus esse deprehenditur aut adulterinus; tum quod qui foras ea emittunt nova, propter rerum externarum ignorationem, non satis perfecto examine singula ponderent, tum quod ii qui talia scriptoribus dictant, vel ipsi illa architectentur, vel vera in contrarium vertant, itaque plurimum adaptent, ut auditores capi illis ac duci videantur. Qui sane fucati commentarii, magnam, si prima origo attendatur, culpam sustinere creduntur quare contusa iam Transylvania, Valachia et Moldavia sunt attritae quod locorum illorum rectores non



aliam magis ob causam audentius arma iungentes, obsequium erga Ottomanos exuerint, quam quia novis Constantinopolitanis, quae postea apud illos validius gliscebant, edocti fuissent Imperium hoc, sive ob clades a rebellibus terrâ acceptas, sive ob adversas mari commissas pugnas, aliosve casus, ita prolapsum esse, ut exigua resurgendi spes superesset. Ego vero supplico, ut sinistrae huius famae periculo illic eximar qui hic satis molestiae experior, ut avertam discrimina, quibus inter Turcas exponor, dum Belgicas naves Venetorum classem explere, militemque ac commeatus iisdem continuo advehere obiectant. Votum hoc meum nunc quidem publica quae mittuntur scripta iuvabunt: sed plane spero existimationem meam et fidem, de qua tanta diversitate regionum, discreta omnium Belgarum iudicia consentiunt, (si unius excipiatur Mortier, cuius probrosis accusationibus non voces humanae solum, notae ignotaeque, sed muta etiam et inanima tecta et parietes Smyrnaeorum reclamant) ita probatam fundatamque haberi, ut adscitis adminiculorum firmamentis fulciri ac sustineri minime habeat opus. Arma Turcica solito maturius, hinc movebuntur. Ipse Rex insequente mense digressurus est Adrianopolin; Vezirus creditur ulterius processurus. Post conditiones pacis, quae antea dictae fuerunt Germanis et acceptae, nunc ab Imperatore, nihil tale opinante, fuit postulatum, ut Principi Transylvaniae (eius nomine in praesens poscitur) tradat Castellum Sekilhid quod uno Transylvanico milliari Sentiobo, ubi etiam Turcae morantur, tribus distat Waradino, cui robore ac firmitate minus cedit, potius superat, quia natura simul adiuvatur, cuius opera hinc fluvius, quem incolae vocant Bereko, praeterlabitur, inde limosis paludibus defenditur: sed et varia ipsi aequae ac Waradino oppidula et pagi subiiciuntur, qui usque Sakmar et Bana porriguntur. Alia quoque ut nonnulli suspicantur, postulata Ottomanni deinceps sunt addituri, dum credant, Germanos, hoc rerum statu, magis de necessitate quam honestate pacis esse cogitatuos. Quod reliquum est, Deum oro, ut Cels. Pot. Vestram Reipublicae et Ecclesiae bono semper florentem conservet.

Cels. Pot. Vestrae humillimus cliens  
Levinus Warnerus.

Perae Constantinopoli. 20 Februarii 1663.

Iisdem. Hagam.

## Ill. et Pot. Domini, Domini mei Clementissimi.

Rex Turcarum, sicut 20. Februarii praenuntiaveram, digressus est Adrianopolin; cum prius publice celebrasset solennia precum; quibus alias privatim quoque sedulus operatur; adeo ut quando oblectamenti gratia in vicina rura excurrit, statis horis, praeceuntibus, quos secum ducit, sacerdotibus, precationis ritus exsequatur. Profecturus erat ulterius, nisi vitare videretur impendium illud nummarium, quod ex more Ottomanico confertur in milites, quoties Rex ad hostium pergit confinia; cuius nunc Adrianopolin profectio obtentum habet, quasi laxandi animi causa sit instituta. Summa illa tunc erogari solita est immensi numeri, cuius pars ea quae viritim equitibus cedit, pharetrae; quae peditibus datur, sacrificii et calceamenti pecunia appellatur. Vezirus qui impedimenta sua iam praemisit Philippopolin, mox discessurus creditur Belgradum, quae civitas, inde undecim dierum itinere disternatur. Ut vero nunc contra primam consuetudinem inusitato tempore, et citis gradibus susceptum est bellum, ita maiores quoque, quam fieri assolet, coactae sunt copiae, proclamaveruntque per triduum praecones, sicut Sultan Muradi Bagdadum adituri tempestate factitabatur, illos qui a signis essent abfuturi, sine spe veniae esse suspendendos nec ulla omnino excusatio tanti fuit, quae praestare cuiquam valuerit militiae vacationem; ut vel illorum etiam precibus, qui religiose accessuri erant Meccam (quo praetextu alioquin impetrari solet immunitas) clausae Veziri aures fuerint; qui ea occasione multa praefectorum militarium munia ad se traxit; ut nunc consulendus sit de plerisque, quae ante in seio eo indulgebantur militibus. Contra aliis temporibus diversas ob causas obtinebatur venia, quae vel intercessione gratiosorum et muneribus acquirebatur, vel concedebatur, si qui ipse non iret, alium sublegeret, tum abesse etiam fas habebat, qui, quoad non militaret, integro stipendio cederet, vel partem eius in perpetuum abradi pateretur. Effundetur autem ingens haec procella, ut propalam loquuntur, in Imperatorem Germanum, nisi accepturus etiam sit novas illas ab Ottomanis nuper dictas pacis condiciones, quas propinquaturi eius finibus videntur velle ampliare; cum, pro praesenti rerum statu, quae postulant, cogere posse imaginentur. Praeterea instruitur hic classis, quae propere dimittenda est in mare nigrum, cuius oras vehementius, quam pro more, afflictae Cosaci, qui delusis tribus illis propugnaculis (vocantur Ziankuli, Narinkule et Sedislam) quae paucis abhinc annis ad ostia Tanais fuerunt posita, flexu viarum multa navigia ponto intulerunt, iamque certum locum (Mius est nomen) obiectu maris tutum,

validis insuper munimentis firmant, ex quo pro libidine incurmare hostem possint, sine ullo maioris periculi metu, quod is triremibus sit inaccessus. Numerosiores vero nunc grassantur Cosaci, quod qui primo ex iis fraternitatis nomen cum Turcis usurpabant, amicitiam illam exuerint, permoti, ut fertur, a Circo, discreti exercitus Cosacici rectore, quem proxime Rex Moschorum propter egregia merita ingenti pecunia donavit, et amplissimo ornavit titulo: is antehac atroci clade stravit Nogeos Tataros, dum praeter alios belli casus, magnam vim captivorum abduxit; inter quos constat bis mille et quingentas solas virgines fuisse. Certe Praefectus Asaci, quod castellum ter mille praesidiariis militibus munitur, nuperrime huc trepidos nuntios misit, qui maturandum esse Ottomanis subsidium docuerunt, si loci illius securitati consultum vellet; cuius tutelae ut in futurum quoque magis prospiceretur, decreta iam fuit castelli exstructio ad ripam fluvii Adohon (ita Turcae vocant) qui ex ditone Temrik, quam Circassi tenent, in mare Asacicum decurrit, sicut inde quoque alter annis nomine Kopân in easdem aquas defluit. Novi ex Transylvania Legati rursus obtestantur, quinquies centena milia Dalerorum antea sibi imperata, hactenus ob ruinam fortunarum non exsolvi: ad hoc, tributum annuum quod ad quadraginta mille aureos excrevit, petunt minui; quippe qui non solum a milite Imperatorio atterantur, sed copias Turcicas etiam, quae partem regionis illorum insident, cogantur alere. Iidem Transylvani creduntur occultis precibus allicere Turcas, iisque societatem armorum polliceri, quia et in ipsa Transylvania indigne tractentur a Germanis, et quotidiano experimento cognoscant multos proceres Hungaros religionis suae consortes, tueri vel recuperare proprias facultates non posse nisi descendant ad fidem pontificiam. Cuius quidem durioris instituti culpa, sicut etiam fluctuantium responsorum causa, quibus Ottomanis esse sibi iniectam aliquandiu ab Imperatore haesitationem aiunt, magna ex parte imputatur Italis, quibus hoc tempore, quemadmodum conscii affirmant, intima aulae consilia plurimum innituntur; dum illi hoc praecipue intendunt, ut quoquo modo belli moles a Venetis devolvatur in Germanos. Quod reliquum est, Deum oro, ut Cels. Pot. Vestram Reipublicae et Ecclesiae bono semper florentem conservet.

Cels. Pot. Vestrae humillimus cliens  
Levinus Warnerus.

Junguntur hic literae <sup>1)</sup> quas ad me dedit Princeps Transylvaniae.

Iisdem Hagam.

Perae Constantinopoli. 29 Martii 1663.

1) De mitigandis oneribus.

## LXXXI.

Cels. et Pot. Domini, Domini mei Clementissimi.

Iter Adrianopolitanum, cuius 29 Junii <sup>1)</sup> mentionem feci, poscente me, prolatum fuit in crastinum. Interea palantes aliquot Graeci huc appulerunt, qui navim Octavian ante quatuor et viginti dies in Casso, quae Rhodo vicina est insula, cum piratis sibi esse visam renuntiant. Quo comperto Praeses Constantinopolis, licet post tantum temporis interiectum, mitti illuc a me tabellarium postulavit, spectatum quomodo se res haberet, cui ipse alium esset adiuncturus. Heri lectae mihi fuerunt literae in Castris datae, quibus inter alia significatur, exercitum Ottomannum mensis praeteriti decimoseptimo die, Belgrado contendisse Budam, emetiendoque ei itineri octodecim dierum praestitum fuisse intervallum: Praeterea tradunt, primis conditionibus pacis duas hasce accessisse; ut Imperator Germanus impendium in bellicos apparatus ab Ottomannis factum ex parte restituat; et ternos illos principes Zerín, Bakín, et Nathes (ita dicuntur Turcis) quos, ob varias acceptas iniurias sint adorturi, indefensos relinquat. Nudius tertius prima Consulís Cayro huc fuerunt perlata scripta, quibus indicatur casus ille, qui memoratae navi accidit. Quod reliquum est, Deum oro, ut Cels. Pot. Vestram Reipublicae et Ecclesiae bono semper florentem conservet.

Cels. Pot. Vestrae humillimus cliens  
Levinus Warnerus.

Perae Constantinopoli. 6 Julii, 1663.

Iisdem. Hagam.

---

1) Interiit epistola illa.

## LXXXII.

Cels. et Pot. Domini, Domini mei Clementissimi.

Postquam per sex dies iussu Regis attentus fuisset in custodia, alatum fuit aliud eius mandatum, cuius sententia erat ut, quia non parerem imperatis, conderer in carcerem, qui est locus subterraneus obscaenus et foetidus, in quem perditissimi sceleratissimique quivis mortalium solent detrudi. Respondebam primo, quia Capitulatione et veritate non protegerer, securum quocunque ducerer; iamque advocabantur



satellites, qui me prehenderent: tum unus ex aulicis, sinceræ fidei homo religiose affirmabat, nihil aliud me effecturum, etiam si non recusarem carcerem, quam ut iram Regis, cui obloqui nemo posset, magis irritarem. Quod cum perpenderem unaque reputarem, pro conditione infesti illius loci, honorem adduci in discrimen periclitarique vitam, sine aliqua spe melioris effectus, infamem eum carcerem detrectavi, dictitans, me esse in potestate Regis, cuius iussis, quia ea sperarem iustissima foret obtemperandum. Igitur sequenti die deductus fui ad Thesaurarium; praesto etiam erat adversarium agmen; indicabantur ibi merces navi impositae ex Turcicis manifestis (ut vocant) fide publica Cayri signatis, cum quibus conferebantur quoque notae italica lingua scriptae, quas mercatores Arabes exhibebant: dein aestimabatur pretium, quod in universum iudicabatur conficere summam Dalerorum Leonum 78445. His peractis reductus fui in custodiam, posteraque luce accitus in Concilium publicum; ubi praesentibus annotantibusque duobus primariis Rumeliae et Anatoliae Iudicibus spondere necesse habui, (siquidem alia quae intentabantur incommoda cum mercatoribus vellem vitare) dictam illam summam intra menses et quindecim dies, quia Rex ita edixisset, esse providendam: ideoque data Decreta, quibus adacti mercatores Smyrnae, Halepi et Tripoli memoratam pecuniam eurent. Rursus 21 Jul. cum intellexissem obstrepentem multitudinem abesse, in secessu adii Supremum Praesidem, institique sedulo, ut omnibus, in praesens et futurum probe consideratis, de negotio statueretur, sed ille penes se id non stare cuncta iubente Rege, determinata esse, obtestabatur. Idem postea affirmarunt alii Proceres qui asserunt, Regem praeoccupatum fuisse persuasione illa, quam praecipuus Eunuchorum, iuxta literas quas Cayro acceperat, ei impressisset; tanquam navis praefectus, inita conspiratione, se tradidisset piratis; quam opinionem nemo ipsi vel potuerit vel ausus fuerit eximere. Huc accedit, quod deinde compertum fuerit, ad ipsum Mufti, Antistitem Legis, magnam partem illarum mercium pertinere, unde opem, quae alias ab eo solet praestari, penitus negavit: Quae causa extitit quominus severum istud latum iudicium muneribus, argumentorum ponderibus vel alia aliquâ viâ potuerit flecti. Quod reliquum est, Deum oro, ut Cels. Pot. Vestram Republicae et Ecclesiae bono semper florentem conservet.

Cels. Pot. Vestrae humillimus cliens  
Levinus Warnerus.

Perae Constantinopoli, 25 Julii, 1663.

Isdem. Hagam.



## LXXXIII.

Cels. et Pot. Domini, Domini mei Clementissimi.

Tandem 30. Augusti dimissus fui a praeside Adrianopolis, cum magnis pollicitationibus, quarum mercatores Belgae in hoc Imperio expectari forent effectum; cum omnino cordi esset, intemeratam cum Cels. Pot. Vestra exercere amicitiam. His cumulatus promissis cum in hanc urbem reverterer, extemplo advocatus fui a novo Administratore, prior enim loco fuit pulsus, quod oppressi ab eo cives supplicibus literis significassent Regi, in votis se publicis, quae hoc bello Germanico nuncupantur, primo execrari impositum sibi praefectum ob intolerandas iniurias, deinde pro salute Regni precari. Accedenti mihi praelegit Edictum Adrianopoli missum, cuius sententia erat, ut prospicerem vadem, qui imperatis nummis, praefinito tempore exsolvendis, obstringeret fidem: sed facile fuit pernotus, ut rescripturum se promitteret, eiusmodi vadimonium esse incongruum. Constat vero Decretum illud fuisse impetratum adversantium mercatorum impulsu, quos primarius fovet Eunuchus; qui quidem suffectus fuit novus, sed alius homo, non alii mores successerunt eademque alienati a causa nostra animi praebuit signa. Illius antecessor, qui primus novis Aegyptiis quae de navi ipsi erant allata, aures Regis imbuerat, perniciosasque, quae invidiam auferent, addiderat voces, tanquam Belgicae naves semper essent subsidariae Venetis, quod Praeses Constantinopolis quoque obiectabat, initio relegatus fuerat in Aegyptum, post interficiendi eius mandata huc fuerunt perlata; dilectusque exsecutor necis unus e primariis ministris Regis, qui ante vocatum me Adrianopolin multo cum comitatu mittebatur, qui postea frequenti multitudine me huc reduxit. Iam ob solvendos illos nummos quorum 25. Julii feci mentionem, varia obiectantur a mercatoribus. Smyrnenses a quibus 60000 Daleri leones exiguntur, cum Alepensis et Tripolensis, a quibus postulata fuit reliqua summa, additque bis mille Daleri in subsidium facti a me impendii, nimis actum esse indulgenter arguunt. Hi contra, postquam imponenda omnia Smyrnensibus, seque ab onerum illorum consortio esse dissociandos obtendissent, praeter modum gravatos, fuerunt questi, obstantes, non permittere fortunas suas, ut amplius quam 6000 Daleros Leones conferrent, cui numero ne quid adderent, condi in castellum se fuerunt passi Halepi, quamvis Mandatum Regis eam necessitatem non iniungat, quod unumquemque pro viribus solvere iusserat, iterumque dimissi, quando memoratam summam bis mille Daleris augmentassent. Proconsul vero Tripolis Martin Meyer, qui negotiationi etiam Anglica ibi

praeest, ac iamdiu amplissimam exercet mercaturam, non querimoniis modo indulget, sed acribus verbis me incessit, dum ait, nec Christiane me agere cum illis nec honeste, studereque hoc facto subruere commercium, quod non evertere sed promovere teneat, ideoque nisi postulatis illa nummaria omittatur, se apud Cels. Pot. Vestram me esse accusaturum. Idem quoque per Consulem Anglum qui est Halepi, inscio me, attulit preces ad Legatum Anglicum (qui id tanquam indignum intolerandumque mihi renunciavit) orans, ut illius interventu componeretur hic scriptum autoritate Turcica firmatum, quo ipse exactioni illi pecuniariae eximeretur. At novus Consul Halepi mirari se scribit, quod rem tanti momenti tam leviter transmiserim; persuasum sibi fuisse, profecturum me nostrates mercatores, sicut aliae protegerentur nationes, sed corrupto honore eversoque commercio, contra evenisse: addit praeterea, non posse loca illa quibus is praesit, meis inventis aliquo fatigari onere, quod absolute a Cels. Pot. Vestra dependeat; sed opportune mihi accidisse quod abfuerit Halepo, quo minus coeptis sese opponeret. Ita iam hic casus, dum non sua natura eum, sed sua quisque libidine et cupiditate aestimant, non tantum obliterat apud multos superiorum annorum memoriam, quando omnia ex votis fluebant, nulla tristiore fortuna continuum rerum successum deformante; sed quidam prospera illorum temporum sorti, adversa nunc mihi ex parte videntur assignare, eaque sola meminerunt: ac eadem consilia, quae primo cum feliciter cederent, prudentiae; nunc quia aliter evenerunt, vanitatis apud iniquos iudices acceperunt nomen. Potuisset fortassis flecti vel molliri haec sententia (quamvis undique Turcae vocibus et scriptis reum doceant praefectum navis sufficereque hanc solam culpam multi causentur, quod contra aeternum morem, nullum prorsus tormentum, dum caperetur, explosisset) si praesto fuisset Vezirus, cum quo veteres quotquot erant amici absunt, belli curis distracti; qui in gravissimis negotiis saepe affuerunt, et interdum aequae mihi quam causae sunt patrocinati: nunc vero tripartita est aula, qui hic et Adrianopoli rebus publicis adhibentur, novi sunt et incogniti; apud quos quaecunque defensionis loco producuntur haut ita iuvant, ut non plus literis Bassae Aegyptii, qui proditionem Capitanei constanter docet, et dictis adversariorum, inter quos nonnulli potentes sunt et gratiosi, praestent fidei. Praeterea utriusque aulae miserationem eliciunt plerique tenuissimae conditionis Arabes, qui freti robore et incolumitate navis, omnes ei fortunas suas crediderant, quorum quidam, intellecto primum captae navis nuncio, extincti moerore fuisse dicuntur: quae quidem incondita turba primoribus aliis immixta una mecum profecta Adrianopolin, omnes eius angulos clamore complebat et planctu. Atque haec quidem peracta fuerunt absente Veziro

et aequioribus iudiciis; quibus vel praesentibus alias in quasvis nationes aequae gravia rigidi iudicii edita fuerunt documenta, quorum exempla tum vetus tum recens memoria suppeditat diversa. Porro quae Cels. Pot. Vestra 7. Martii de pace cum Portugallis facta iniunxit, ex iussu observantur. Statim quoque illa res indicata fuit Legato Anglico, qui cum notitia eius ad me perveniret, una erat Adrianopoli; ubi inquam cum Algirensibus, Tunensibus et Tripolensibus amicitiam, ut constantior esset nec pro libidine illarum gentium desereretur, apposita manu regia firmari curavit: quae ita signata protinus ternis eis nationibus fuerunt missa. Quod reliquum est, Deum oro ut Cels. Pot. Vestram Reipublicae et Ecclesiae bono semper florentem conservet.

Cels. Pot. Vestrae humillimus cliens  
Levinus Warnerus.

Perae Constantinopoli. 17 Septembris 1663.

Iisdem Hagam.

---

LXXXIV.

Cels. et Pot. Domini, Domini mei Clementissimi.

Superiori hebdomade vulgata hic celeri nuncio fuit expugnatio Castellii Oiwar, Germanice Neuheusel, indictaque publicae laetitiae celebratio per septem dies noctesque continuanda. Fuit omnino validissimum munimentum et omni bellico apparatu instructum; sed magnam partem militum, qui tutando ei impositi, adversus casus, ante coeptum obsidium, absumperat. Cum enim propinquante Turcico exercitu, pons iniiceretur Danubio, et tres tantum diversarum provinciarum Rectores cum copiis suis, assumtaque modica manu pedestri, fluvium ante essent transgressi, ut providerent, ne quod efficiendo ponti ab inimico obiceretur impedimentum, praesidarii illi re cognita, occasionem favere rati, e propugnaculo eruperunt, adortique sunt Turcas; cum contra opinionem, consummato iam ponte, moles Ottomanica supervenit; caesique momento temporis, ut scribunt, quinque mille; capti mille quingenti, nonnullos hausit fluvius; et erepta quadraginta signa militaria.

Vel sic tamen paucitas obsessorum haut obstitit quominus fortiter se defenderent: neque enim ante tradiderunt Castellum, quam subrutum vallum, concussi muri, eversae turres, et prostrata omnia essent, ut signa prope arci iam inferrentur, eo quod structus ab hoste agger altitudine sua ipsum Castelli fastigium superaret, nudataque oppugnantorum latera ad ictus patescerent. Tum desperatis omnibus, caduceatorem miserunt, pactique, ut inde milites, aliaque quae lex bellica indulgeret, liceret abducere; quod fuit impetratum. Oppugnantium vero numerus fuit immensus, cum satis constet, praeter vagam multitudinem 200,000 pugnae capaces et dilectos milites affuisse, quorum permulti occisi, plures cruentati perhibentur. Inter alios gloria belli insignes cecidit Bassa Cutahiae, qui reliquos Anatoliae Satrapas dignitate antecellit. Occubuit et Sophiae Administrator, qui inter Rumeliae Praesides tenet principatum. Extincti quoque quatuordecim Scurbazi, sive cohortium pedestrium praefecti, quorum alii trecentis, quidam quingentis, nonnulli septingentis militibus praesunt. Praeterea interierunt 21. Odabasi qui autoritate fere eadem, gradu tantum Scurbazis illis sunt inferiores. Tanta hominum multitudo magna rerum penuria initio fuit fatigata, equis et iumentis, quae in universum circiter 500000 erant, plane fatiscensibus inopia, donec subsidium ferret Tatarorum pernicitus, qui brevi tempore longa terrarum spatia persultantes pecora et commeatus adegerunt. Idem quoque omnis aetatis, virilis ac muliebris sexus captivos rapuerunt, quorum tam ingens coactus fuit numerus, ut qui alias trecentis, nunc decem Daleris in Castris veneant: hic quoque adducti nuper Germani levissimo pretio venduntur. Illi iam prosperi rerum successus magnum illis primae ferociae sunt alimentum, ut iam ante tumescentes, nunc cuncta fortunae suae patere, nec quidquam ultra incredibile arbitrentur. Unde factum, ut nondum egressi limitibus suis Tatari, iam expeditissent vincula, quibus futuros captivos religarent; et vixdum coepta obsidione Oiwar, Turcae varios instruxissent paratus, quibus capti Castelli agitent laetitiam. Sic nondum reportata victoria, iam triumphalia signa ostentabant, velut securi de conficiendo bello, quod illorum manus exceperant. Paucis ante diebus, quam arx caperetur, interfectus iussu Veziri fuit supremus Regni Cancellarius; cui alium usu et rerum peritia parem, hoc Imperium, ut omnes affirmant, habet neminem. Causa necis affertur, quod occultis literis, quae fuerunt detectae, ad matrem Regis datis, novum Summae rei Moderatorem imponi petierit; quia praesens Vezirus propter iuventum maioris animi esset quam consilii, et avidius omnia ageret quam cautius, ideoque bello coepto non sufficeret. Quod reliquum est, Deum oro, ut Cels. Pot. Vestram Reipublicae et Ecclesiae bono semper florentem conservet.



Junguntur hic literae, ut creditur, Imperatoris Germanorum; quas a Turcis sua lingua donatas latine sum interpretatus.

Cels. Pot. Vestrae humillimus-eliens.

Levinus Warnerus

Perae Constantinopoli 16 Octobris 1663.

Iisdem. Hagani.

---

LXXXV.

Cels. et Pot. Domini, Domini mei Clementissimi.

Ut prosperis belli initiis laetus finis respondeat, magni denuo instruntur apparatus affluitque perinde Christianus quam Muhammedanus miles: nam Christiani quoque dominationi Turcicae sanguinem commendant, quidam affectu et fide. alii metu et terrore incitati. Inter Transylvanos quidem Valachos, et Moldavos, praecipue a Turcis laudibus fertur Valachiae Praefectus, quod et aperto Marte egregia eius virtus emicuerit, et dolo rem iuvans, furto noctis incautos hostes magna clade multarit: ob quod meritum ei in quinquennium prorogatum fuit regimen. Laudatur etiam vigor Cosacorum illorum, qui antehac domestico certamine inferiores, Turcis se applicare, quam civibus cedere maluerunt: iidemque varia ardoris sui retulerunt praemia. Sed ante omnes, muneribus cumulati Tatari, quorum complures nunc ad subita belli et repentinos motus, a Veziro fuerunt retenti: ipsi enim militiam suam maxime probant Turcis pernecitate, qua tantum promoverunt hoc anno, ut prius innumeros ceperint Christianos, quam illi imminere hostem sciverint; sicut eadem celeritate belli Transylvanici primordio, hoc praestabant, ut montibus vallatam regionem, ad quam non patere aditum, nisi a coelo venturis inimicis credebatur, citius invaserint, quam adesse adversarium incolae cognoverint; hinc Ottomanni eos in scriptis publicis gentem vento vehi solitam appellant. Caeterum nunc fama est, decretum Veziro esse ad Imperatorem Germanorum mittere literas, quibus denunciatur, ut si effugere velit imminentem ruinam, vel in fidem Muhammedanam concedat, vel solvat tributum. Cuius quidem moris sanctorem legis suae sequuntur authorem, qui scripta ad Persarum Regem Pervizum epistola, eum ad sacra sua invitavit; et Graeciae tum Imperatorem Heraclium religione sua devincire studuerit. Porro aedes Venetas



nuper hic notabilis casus turbavit, quando ex praecepto publico, Turcae eas irrumpentes, duas ex penetralibus protraxerunt statuas in speciem hominum effictas indutasque, quibus magicas et imperio perniciosas artes perpetrari criminabantur: cui persuasioni eo facilius assensum praebabant Turcae, quod tantam inesse fascino vim credant, ut ipse Muhammed, licet propheta, eo fuerit contactus, et qui inde morbus ipsi obtigerit, ope humana insuperabilis, virtute angelica sit depulsus. Tandem vero, delinitis primariis aulicis, melior interpretatio valuit; qua in re cum opera mea intervenisset Minister Venetus eo nomine ad me literas dedit, quarum hic iungitur exemplar. Legatus Anglicus instantanter requisivit, ut Cels. Pot. Vestrae notum facerem insuetum illum et infestum modum, quo nuper mercatores Belgae, vi Turcica muniti, Smyrnae fuerunt usi, sicut ex incluso eiusdem Legati scripto patet, dum non satis habuerunt spernere interdictum meum, quod expetenti Legato concesseram, (quoniam in similibus negotiis mutua officia solent praestari) quo vetabantur cineres illos, quia controversi essent, mercari: sed, illatis manibus violentis, eos a nautis curarunt asportari. Decretum Cels. Pot. Vestrae 7 Julii signatum recte accepi. Quod reliquum est, Deum oro, ut Cels. Pot. Vestram Reipublicae et Ecclesiae bono semper florentem conservet.

Cels. Pot. Vestrae humillimus cliens  
Levinus Warnerus.

Perae Constantinopoli. 20 Novembr. 1663.

Lisdem. Hagam.

---

LXXXVI.

Cels. et Pot. Domini, Domini mei Clementissimi.

Exsoluta pecunia, quae propter casum navis Cesar Ottovian, decreto Regis imperata fuerit, adii Praesidem Constantinopolis: in cuius praesentia, concione advocata, adhibitisque testibus pensio illa firmabatur: cuius argumenti scriptum per supremum huius urbis iudicem curavi formandum. Requisivi eo tempore simul, ut quia intelligeretur, certos navium Belgicarum praefectos eo eventu deterritos, habere in animo peregrinum usurpare vexillum, iussu publico eiusmodi proposito obviam iretur; quo intellecto, non solum Edicta concessit partibus illis accom-

modata, in quibus mutatum nunc iri vexillum praesumeretur, sed generale etiam edidit mandatum, quod ipse ego in futurum, particularibus locis, ubi opus foret, aptarem. Cum, eadem quoque utens occasione, incusarem quae ab Africanis piratis exercentur scelera, censuit, negotium illud ad aulam Adrianopolis referendum: quo tum misi interpretem, non illam solum ob causam, verum etiam ut praesentibus iisdem, quorum sententia magister memoratae navis reus perfidiae fuerat iudicatus, (neque enim interea Rector Adrianopolis aliive praecipui ministri sunt mutati) adnotaretur in concilio Regis, iussis illius in pendenda pecunia fuisse satisfactum. Per eundem quoque interpretem significavi, novissima fama hic fuisse asseveratum, sex mille Daleros, quos Regi affirmatum fuerat deberi, ei affictos esse falso; quod nihil mercium regiarum recepisset navis. Ad quae Praeses Adrianopolis, sibi fraudem illam ignorari respondet, renunciavitque postea per Cancellarium suum, siquidem veritas doli apertis notis ac indiciis patesceret, effecturum se, ut nummi ii refunderentur, ea tamen lege, si ipse bis mille Daleris donaretur: cuius eventum suo tempore indicabo. Idem Praeses fuit sollicitus, iniurias illas piraticas se notas facturum Regi; et addidit non esse alienum, violari ab eiusmodi gente pacis foedera; quia cum praedonibus nulla fida ac valida iungi posset amicitia ideoque magis se mirari quod nuper Angli (quorum naves recenter captas fuisse intellexerat) expensa Adrianopoli immensa pecuniae summa, scripturam regiam comparassent, quam corroborandae firmioris societatis gratia ad eos mitterent: Nimirum, inquit, congruit in Christianos illos, qui sapientia prudentiaque pollere iudicantur, tritum istud linguae nostrae proverbium: quae valde provida est avis, utroque simul pede solet illaqueari. Quod reliquum est, Deum oro, ut Cels. Pot. Vestram Reipublicae et Ecclesiae bono semper florentem conservet.

Edicta Cels. Pot. Vestrae 18 Augusti et 21 Septembris bene pervenerunt.

Cels. Pot. Vestrae humillimus cliens

Levinus Warnerus.

Perae Constantinopoli, 20 Februarii 1664.

Iisdem. Hagam.

## LXXXVII.

Cels. et Pot. Domini, Domini mei Clementissimi.

Propter novas clades et funera, quibus insignita fuit Hungaria, nova hic 1. Decembris indicta fuit laetitia; cuius celebratio tres dies et totidem noctes implevit: quamvis hac vice sincerum gaudium animo se nullum concepisse plerique Turcae fateantur; sive quod, (ut iidem dicunt) asperitas coeli quod tum erat gelidum, illud confuderit; sive quod ipsius laetitiae fuerit quaedam satietas, cum non diu ante per septem dies eâ fuissent vagati. Sed nonnulli Muhammedani moestum illum, feriato tempore, animorum habitum vertunt in praesagium, quasi deinceps tristi fine revomenda sit prima hilaritas: quo iidem fatidici trahunt, quod antehac Adrianopoli in praesentia Regis, ultimum publicae laetitiae diem ingens luctus foedarit; postquam ortum incendium multa aedificia hausisset. Plurimi tamen eiusmodi interpretamenta aspernantur, tanquam superstitiosae multitudinis propria; quae id quod in pace fortuitum, tempore belli, fatale soleat appellare. Iam vero Astronomi auspicata multa et mirabilia portendi Regi praenunciant: cum quo coelestium significatu, ipsa quoque terrestria congruere alii praesumunt, quando aer Hungaricus quasi vinci se passus, clemens et armis Turcicis favens fuerit eo tempore, quo saevus esse alias et truculentus soleat. Qualem fortunam cum Sultan Selimi comparant felicitate, qua occupaturus Ægyptum, sit usus; cum in locis aridis, ubi insolens plane et insueta pluvia, ingens coelo missa vis aquae fuerit, qua exercitus et iumenta refocillata. Atque haec quidem signa tanquam religiosa multum animis Turcarum addunt, quod curae se esse Deo, eodemque ipsum coelum intendere credant, quo conatus eorum hortentur. Praeter illa quae spondet indulgetque fortuna, ipsi quoque nihil virtuti suae invium esse aut infectum, imaginantur: unde cum tanta victoriae spe atque fiducia in bellum eunt, ut ferme tot funes, quibus vinciant captivos quam arma portent. Ad hoc iuvari se gloriantur discordiis Christianorum; ideoque cum nihil praestari imperio maius utiliusque posse fateantur, quam illorum dissidium, publice privatimque Deum precantur, ut duret iis odium sui, ne consulant in commune, coeantve in unum: ita enim procedenti tempore futurum certo sibi persuadent, ut dum singuli pugnent, tandem universi ab Ottomannis vincantur. Decretum Cels. Pot. Vestrae 25. Ianuarii signatum, bene fuit perlatum. Quod reliquum est, Deum

oro, ut Cels. Pot. Vestram Reipublicae et Ecclesiae bono semper florentem conservet.

Cels. Pot. Vestrae humillimus cliens.  
Levinus Warnerus.

Perae Constantinopoli. 29 Decembr. 1663.

Iisdem. Hagam.

---

LXXXVIII.

Cels. et Pot. Domini, Domini mei Clementissimi.

De bello Germanico varie Ottomanni iam sentiunt: nonnulli quibus initio magni terroris id esse videbatur, nunc metuentes magis Germanos. quam metuendos; et Imperatorem potius velle resistere quam posse imaginantur; quia superiore tempore, cum victores penetrarent, quo intenderent; et innumeris abductis mortalibus ferro flammaque omnia miscerent, hostes vel latibulis suis se tenuerint clausos, vel formidinem ac ignaviam trepida fuga fuerint confessi. Alii vero Turcae nunc demum atrocissimam cieri militiam censent; antea se in occasionem victoriarum usos fuisse cunctatione Germanorum, quos celerius opinione, armis oppresserint, quibusque causa calamitatis fuerit nimia securitas. His consideratis, extraordinarii undique instruuntur apparatus: nam ab extremis quoque Imperii oris (quod rarissime alias, et nisi magna urgente necessitate consuevit fieri) accersuntur copiae; inter quas, ob perniciositatem et disciplinam singularem, insignes habentur equites Cayri: adeo, ut cum Turcae fere omnes praestent equitandi arte, nihilominus ex iis acciri soleant Constantinopolin, qui ea peritia aulicos Regum perficiant. Praeterea ad augendum numerum, integrantur restituunturque equites (ingens illorum est multitudo) quorum ante aliquot annos erasa albo nomina fuerant; multaque alia indulgentur, quae valeant ad conciliandos militares animos; et omnino id agitur, ut primorum temporum severitas salubri nunc pensetur venia: id tamen edictum fuit serio, ut qui relinquat signa, vel, adolescente vere non adsit miles, statim capite poenas luat. Ipse etiam Rex (ut iam fama sed incerta tenet) hoc anno perrecturus est Belgradum: quo vel hac duritia coeli concidunt multi bellatores voluntarii, convehunturque diversae machinae. Non ita pridem quoque hinc expediti eo fuerunt centum et quinquaginta currus, terra,

conficiendis tormentis bellicis idonea onusti, quae in proximo huius urbis effoditur. Dum haec agitantur, luctuosa admodum Imperio accidit mors ducis Ali Bassae, qui initiis belli Transylvanici designatus rector exercitus cepit Varadinum et prospero rerum successu semper fuit usus; ut dubitent Turcae, utrum magis strenuus fuerit, an felix; illud non dubitant, eum aequae utilem in Castris, quam bonum in pace fuisse. Iam post decessum eius, qui in hoc regno, praecipua auctoritate consilia domi, et arma foris tractant, sunt ferme iuvenes; sed inter quos Supremo Veziro, quod conata prospere eveniant, senilis prudentia tribuitur; adeoque quia fortuna, etiam plurimum favor ad eum inclinat; qui sicut Veziratum ei per successionem novo exemplo, a patre traditum, ita eiusdem in illum translatam arbitrantur felicitatem; quae adversantibus omnibus, sola stare pro partibus patris credebatur; ut illius auspiciis, fluens iam ac procumbens Imperium repararit, et evaserit stator Ottomanni nominis: cui ideo quoque quod multa, quae humanam conditionem supergrederentur, edere facta existimabatur, magicae artes imputabantur; quas nunc etiam propter eandem causam, vulgi superstitio praesenti Veziro attribuit. Quod reliquum est, Deum oro, ut Cels. Pot. Vestram Reipublicae et Ecclesiae bono semper florentem conservet.

Cels. Pot. Vestrae humillimus cliens  
Levinus Warnerus.

Perae Constantinopoli. 26 Ianuarii 1664.

Idem. Hagam.

#### LXXXIX.

Cels. et Pot. Domini, Domini mei Clementissimi.

Triste nunc est in hac urbe silentium, et tacita moestitia, propter funestas literas, quae aliae super alias allatae, acceptam in Hungaria Ottomannorum cladem significant. Ita enim naturam et origine comparati plerique sunt Turcae, ut, quemadmodum rebus ex voto fluentibus mire intumescunt; refluentibus illis, ultra modum animis frangantur. Pari mobilitate, quem primo ad coelum laudibus ferebant Vezirum, nunc criminationibus deprimunt maxime; dictitantes eum praematuris, ut iuvenem, honoribus ad superbiam elatum, contemnendis magis, quam cavendis hostibus valere: antea fortunam ipsi in sapientiam ces-



sisse; iam enim manifestam eius temeritatem, nec ambiguam esse imprudentiam; quod dimissos, qui ad repentinos motus fuissent retinendi milites, ad penates suos iusserit reverti; cum providere ac reputare debuisset, inimicum damna aestatis promptius expeditiusque pensaturum hybernis eventibus; quippe qui sucto coelo et sidere armatus solam hyemem suam a Sole venientibus inferendo multum esset promoturus. Ad haec, contra Maiestatem Imperii egisse arguitur, quod accepto stragis nuncio, non mandans Duci alicui adversus hostes procedendi curam, ipse se moverit; quia irrito forte conatu, plus inde ad rem communem redundet dedecoris. Idem quoque extitisse causa differtur, quod in commisso praelio, ira victoris nunquam alias solitam in debellatos Muhammedanos exercuerit crudelitatem, quia ipse, contra patrios mores, antea saevierit in victos Christianos, quos, non contentus eorum captivitate, in conspectu suo iusserit obtruncari. Haec et similia obiectamenta nisi magnis officiis superet, ad seditionem prolabi milites, est metus: quorum vel iam, in primis Ianitserorum, alienari ab eo incipiunt animi; quod, pro acerbitate temporum, nimis leviter et translative currentur, stipendiis usus necessarios minime explentibus; quia duobus indiem obolis quibus vita sua aestimetur, parum possint proficere: tantum enim datur novo pediti, sed quae portio cum tempore augetur, ita tamen, ut sex obolos non excedat. Nec intra Ianitseros solum se continent huiusmodi querelae, verum a validarum quarumque Provinciarum rectoribus etiam proferuntur; quod sumptus, qui copiis, quas educere in bellum numerosas tenentur, sunt suppeditandi, non suppetant; quia multi subditorum, qui ministrare impensas solebant, continuis exactionibus exhausti sint, vel profugi. Ipsi vero Praesides proprias facultates habent nullas, vel admodum modicas; quippe qui aegre interdum reliciant pretium, quo iurisdictiones, quibus plerumque exuuntur post annuam administrationem fuerunt emercati. Contra primis temporibus, cum dignitates illae vel longum tempus continuarentur, cui erant concessae (qui mos nunc in paucis locis durat) vel emortuo patre, transferretur ad filium, perennitate officii accumulatae opes diuturnitati gravissimorum bellorum erant pares: quae si nunc longius trahantur, magnopere, ut ipsi fatentur, foret laborandum. Interim militaria omnia ope summa parantur: Copiae veteres supplemento explentur, et leguntur novae. Expediti hinc quoque superiori septimana fuerunt ter mille Armeni (assignatis cuique praeter vetum publicum centum Dale-  
ris) qui in oppugnatione urbium, agendis cuniculis et subterraneis dotis faciendis effodiant humum. Illi enim hominum generi, quod validis artubus sint praediti, istiusmodi negotia, inter quae multa sunt sordidissima, in hoc regno solent mandari: unde superioribus temporibus, cum

quidam Suliman Bassa origine Armenus, ante supremus Vezirus, mox Veziri vicarius loco moveretur, Poeta ei hoc carmine, quod miscetur Turcica et Armena lingua, illudebat: Rupta est pala tua, fractaque urna, Suliman Bassa, quo tandem instrumento deinceps tibi comparabis vitum. Quod reliquum est, Deum oro, ut Cels. Pot. Vestram Reipublicae et Ecclesiae bono semper florentem conservet. Quae Cels. Pot. Vestra 29 Iunii transmitti huc iussit foederis exemplaria, recte fuerunt perlata.

Cels. Pot. Vestrae humillimus cliens  
Levinus Warnerus.

Perae Constantinopoli. 19 Martii, 1664.

Iisdem. Hagam.

---

XC.

Cels. et Pot. Domini, Domini mei Clementissimi.

Postquam questi fuissent praesides provinciarum, sicut 19. Mart. significavi, rationem quaestuum suorum non congruere cum necessitate erogationum, quibus bellorum ac munerum sustinerent onera, prorogatum illis regimen fuit, addito Edicto, ut ultra ordinarias copias, conscriberent milites, qui vulgo segmen vocantur; idque impedium ut facilius tolerarent, nummi quos annuatim solent pendere, sunt remissi. Nam alioquin et ipsi magnam vim pecuniae tenentur exsolvere, praeter reditus annuos, qui e iurisdictionibus illorum inferuntur aerario: ex quibus Damascus quotannis suppeditat 150000 Daleros; quae et alios 90000 praebet usibus Meccanis: Halepum 195000: Tacatum 146000: Mesopotamia 170000: regio montis Libani, quam Drusi colunt, 180000: Saphet 10000: Tripolis Syriae 30000 Daleros ministrat. Quae pecunia fere intacta et integra servatur a Regibus, nisi quod Sultan Ibrahim illi vim intulerit, magnam summam conferendo in agmen muliebre et Eunuchorum gregem; sed quae postea occisis possessoribus, pristino loco fuit restituta; unde opes regias circumagentibus molam aquis assimilare solent Turcae; quae tantisper a sueto cursu deflexae, mox ad usitatam viam remeant. Hoc consilio Vezirus famam, quae, uti et 19. Mart. scripsi, iam nutans erat labansque, mire reparavit; et tam subditorum sibi aggregavit animos, qui concessa Bassis munerum diuturnitate, multis violentis adventitiisque praebitionibus relevatum se iri sperant; quam militum illorum Segmen numerosorum validorumque in se vertit studia; qui iam diu gratia publica exciderant, et undecunque

quo metus eos deiecerat, conquisiti, ad supplicia rapiabantur. Quam indignationem ideo meruerant, quod antehac rebellantibus in Asia ducibus semper socios se et satellites exhibuissent; saepe non reperto seditionis signifero, ipsi inter se caput excitassent, cuius ductu quietem publicam turbarent; tanta quidem audacia, ut aliquando integras copias, quae ferociae illorum opponebantur, straverint. Quibus delictis cum vix impetrabilis videatur esse venia, quidam proceres existimant, Vezirum illis speciem tantum benevolentiae praebere, revera autem id agitare, ut eluvie illa repurget Anatoliam, et quos bellum non absumat, ipse post conficiat gladio: sicut pater eius huc pellegerat Arnaudes et Bosnenses, Venetis commeatus et subsidia ministrare solitos, quorum deinde plerosque, quos praelii casus transierat, caedibus mulctavit. Tantis hisce undique coactis copiis, quas a nullis gentibus credunt sustineri posse, totam quasi Germaniam nunc animis invaserunt; cuius bellatores magis despiciantur, quod superiori hyeme, quando sueti coeli ac temporis iuvabat opportunitas, maiorque pars Turcici roboris erat dilapsa, insigne nihil praestiterint; sed latrocinii verius quam belli more agentes, ad conspectum tenuissimi exercitus arcendarum incursionum causa missi, refugerint. Sed et multi Germanos omnino sibi hoc tempore impares esse coniectant; quia iam olim, cum Ottomanni adhuc angustius imparent, illique Transylvanorum, Valachorum ac Moldavorum subsidiis essent auctiores, fusi tamen plerunque fuerint et strati: nunc vero externa auxilia deesse, aliosque aliquot eis principes Christianos credunt esse infestos; inter quos infensissimus videtur Galliarum Rex, quem non dubitant circumspecturum vias, quibus pristina recolatur amicitia; qua repugnante antehac miserit repentinum militem, qui Turcas exturbaret Creta. Inde iam advocatur Dux exercitui praeponeendus, qui vulgari-ter Katirzi ogli (filius mulionis) appellatur, quod pater eius ducere mulos consueverit: ex more autem a parentum vitae genere, licet obscurum illud sit aut sordidum, assumuntur nomina, quae filiis, etiam ad summa honorum fastigia provectis, imo ipsis Veziris solent tribui. Inter quos insignis fuit El mekzi Oglis (filius pistoris) quem poeta Turcicus, assentiente Sultano Murad, maledicentissimo taxavit carmine, in quo inter alia: cuius pater ante mendiciter vitae alimenta postulabat ostiatim Adrianopoli, eius nunc opes et fastum tota non capit Constantinopoli. Et sic plerique Magnates ense geniti videntur, cum vel liberti sint vel sortis ultimae Turcis orti. Dum enim honores et dignitates promiscue vident patere omnibus, iique nobilissimi habeantur, qui sunt optimi, etiam de plebe homines sublimia quaeque animis concipientes, ad virtutum studia accenduntur. Hic Katirzi Oglis ante aliquot annos exuens obsequium, rebellavit contra Imperium, ductando infestum agmen in

Scutarim Constantinopoli oppositam civitatem, ubi, quae contra mittebantur, copias fundebat: cuius delicti, raro exemplo, facta fuit venia, ipseque postea illud magnis officiis et decoris militaribus correxit; bellicis enim virtutibus eius notissimum est nomen, quod eo claritudinis processit ut multi mirentur, id hactenus illi non fuisse exitiale; cum in hoc Regno, praeter ea quae usitate asserunt interitum, elatior fama excellens aliqua virtus, et splendidae opes caedis soleant praebere causam. Quod reliquum est, Deum oro, ut Cels. Pot. Vestram Reipublicae et Ecclesiae bono semper florentem conservet.

Cels. Pot. Vestrae humillimus cliens  
Levinus Warnerus.

Perae Constantinopoli. 10 Maii 1664.

Iisdem. Hagam.

---

XCI.

Cels. et Pot. Domini, Domini mei Clementissimi.

Inter nova horum temporum nunc est quod nuper huc venerit Internuntius Persicus afferens Regis sui preces pro filio cuiusdam Bassae, iussu Ottomanico antehac occisi in provincia Wan; qui iuvenis cum post necem patris profugisset in Persiam, asportans secum affluentes opes, eumque requisivisset novus praefectus Wan, Rex haud gravate postulatis morem gerens, eum amplissimis cum facultatibus misit ad Imperatorem Turcicum, unum hoc orans, ut delicti quod imputaretur, fieret gratia: quo impetrato, aliaque insuper concessa indulgentia, profugus ille nunc reduci huc curat caeteras fortunas suas, quas abundantes habet in civitate Persica Tebriz, quae una est ex urbibus illis et praefecturis, quas Sultan Murad tertius eius nominis, eripuerat Persis, recuperavitque Rex Abas; reliquae sunt Rewan, Nagtsuan, Marand, Genze, Karabag, Scirwân, Hemdan, Erdebil, Ederbizan, et Teflis. Idem Murad quoque ceperat Iemen sive Arabiam faelicem; magnamque subegerat Æthiopiae partem: post cuius obitum, ex Iemen denuo exturbati fuerunt Ottomanici, omniaque illis adempta castella, quae illic tenebant munitissima: Æthiopiae etiam pleraque loca deinceps fuerunt amissa: quarum quidem cladium causam nonnulli imputant luxuriosis illis Sultan Muradum insecutis temporibus, quibus initium ludicra certamina, feriataeque epulationes praebuerunt, quas per quadraginta dies indixerat celebrandas, cum circumcideretur filius eius Muhammed, Egrae, arcis Hungaricae expugnator; tum enim corrumpi mores, dissolvi disciplina, gliscereque studia lasciva coe-



perunt; ut maioribus honoribus afficerentur amplioribusque ornarentur dignitatibus, qui peritius histrionum artem exercerent meditarenturque quod effusis in gaudia animis esset accommodatius. Nuperrime iniuncta hic fuit lactitia publica, celebrataque per septem dies totidemque noctes, primoribus omnibus hilaritate certantibus, ob primum Regi genitum filium nomine Mustafa. Cuius mater cum pro more iam sit coronanda, evocatae hinc ad celebritatem illam, Adrianopolin fuerunt duae Regis sorores Goiber et Begehan, cum sex aliis priorum Imperatorum filiabus: inter quas duae a Murado tertio, Ahmedis avo procreatae supervivunt, mutatis saepissime maritis, quos aliae novies, quaedam pluribus vicibus variarunt; quod illi, iubente Rege, plerunque soleant enecari. Nova haec Imperatrix licet decoretur reginae insignibus, non tamen est in matrimonio Regis, Imperii statutis id abnuentibus; quibus posthabitis, unus Sultan Osman sequi potius volens institutum, ut credebat, divinum, quatuor uxores, duas ingenuas alteras servas ritui coniugali sibi iunxit; tot enim auctoritate Corani uno eodemque tempore permisit Muhammed; quamvis ipse tredecim uxores, et ex iis novem simul matrimonio sibi habuerit sociatas. Praeter decretos hosce genitrici honores, cumulatissima quoque ab Optimatibus in eam conferuntur munera, et Rex ei ingentis summae redditus annuos assignat; quos pater illius Ibrahim promiscue adeo ac prodige attribuebat concubinis, ut maior nummorum pars aerario inferri solita, iis cederet; cum vel minus gratiosae, inter crebras alias largitiones dicasset tributum Cypri, quae annuatim 100100 Daleros praebet. Quod reliquum est, Deum oro, ut Cels. Pot. Vestram Reipublicae et Ecclesiae bono semper florentem conservet.

Iungitur hic exemplar literarum, quas supremus Regni cancellarius hisce diebus e castris misit Constantinopolin.

Cels. Pot. Vestrae humillimus cliens  
Levinus Warnerus.

Perae Constantinopoli. 23 Iunii 1664.

Iisdem. Hagam.

---

## XCII.

Cels. et Pot. Domini, Domini mei Clementissimi.

Tandem Praeses Adrianopolis sex mille Daleros illos, quorum 20 Febr. facta a me fuit mentio, iussit refundi; ea pactione (sicut tunc quoque



indicabam, ut bis mille Daleris ipse frueretur: praeter quos sibi alios sexcentos vendicavit, pro more, qui hic talis obtinet, ut ex centum Daleris decem ad eum redeant, cuius autoritate et operâ similes persolvi restituere solent nummi. Verum non is solum pecuniam illam abrasit, sed et alii, inter quos duo supremi iudices, eam circumciderunt, cum, quae Praeses censebat, ipsi legis vi firmarent: ut 2749 $\frac{1}{4}$  Daleri tantum remanserint integri. Maior vero inde oborta fuit difficultas, quia recuperari nummos, qui iubente Rege, quoquomodo fuerunt dati, prorsus est insolitum. Hinc Defterdar, qui restituere eos necesse habuit, totas suas impediendo coepto vires impendebat; provocans ad Bassae Ægyptii in hanc rem scriptas literas, producensque Bassae fratrem, qui easdem testimonio suo foveret; sed nec ille auditus, et hic cum vehementi increpatione exactus publico consilio fuit. Adeo tempora nunc variant, mutataque primi iudicii forma est; cuius diversitatio esse causa existimatur, quod Bassa Ægyptius exitialium nobis literarum author, officio sit demotus, adeoque autoritate omni exutus; exturbatus quoque malignus illarum interpres, deterioraque addens primarius Eunuchus; cuius summa erat apud Regem potestas. Is namque, sicut nunc denuo asseveravit praeses Adrianopolis, tam atrocia statuendi causam praebuit Regi. Praeterea loco motus Rumeliae Iudex, qui infenso ac affectibus obnoxio animo exequabatur verba, quibus tunc causa nostra damnabatur: contra successor illius, cum quo iam aliquandiu mihi est amicitia habetur vir moderatus et rectus: is manum suam apponere abnuit scripto illi, quod imperatam nobis pecuniam fuisse exsolutam continet; quia lata sententia, sicut propalam exclamabat, iuri et aequo repugnaret; ideoque, inquit, non Muslimani, sed a fide sunt alienissimi, qui nummos illos contra legem dari postularunt. Quod iudicium ipsi praesidi quoque hanc vocem extorsit, ut diceret summam mihi, sed non sua culpa, factam fuisse iniuriam: dataque ab utroque spes bonam quoque reliquae pecuniae summam restitutum iri: quando Cels. Pot. Vestrae super hoc negotio Literae perveniant; quas hactenus, pro ratione temporum, acceptas reticui. His de causis, cum auxiliari videatur opportunitas, proficisci Adrianopolin fuit visum. Regis enim Vezirique reditus est incertus; qui non ante creduntur reversuri, quam debellatum fuerit cum Germanis. Tum si Cels. Pot. Vestrae diutius differantur Literae, et ipsae gratiam vetustate exuisse, et negotium illud iam senuisse videbitur Turcis. Praesens autem Adrianopolis Rector, qui spem ostentat, adeo Veziro est charus, ut is eadem cum illo velit nolique: quae amicitia puerilibus annis copulata, post affinitate coniugali fuit corroborata. Priusquam vero ipse iter ingrediar, praemittendum interpretem puto, qui de novo scrutetur animos, num in prima sententia perseverent, circumspicietque pertinentes alias ad hoc propositum

conditiones, quas sciri, non praesentium tantum, sed et futurorum temporum cura requirit. Caeterum diversi iam nuncii huc afferunt ingentem cladem ruinamque (cui Franccs armatae illorum aedes exemerunt) quam passa ante septem menses est Indiae Civitas Surat: quando silentio noctis repentinus eam adortus miles, ingentem vim auri, argenti cimeliorumque abstulit, ac multas opes curribus eo paratis avexit; aliasque quas abducere nequivit pretiosas merces in unum locum congestas subdita flamma, exussit, maiori quoque urbis parte cremata. Immisit autem tumultuarios illos praedatores Dux Siwezi, qui factis quam genere nobilior natus est in Kunken, regionis Deken oppido. Is magna vi militum munitus, ac triginta tribus fretus castellis affectare nunc regnum dicitur. Et adest fortuna cum exercitum Magni Mogol praelio fuderit planeque castris exuerit ac ingenti inde praeda sit potitus. Praeerat stratis illis copiis Scaestichan, qui antehac Regi Bitsapur arces Isakne et Perende eripuit; cuiusque unam filiam Praesens Mogolorum Rex, Eurenk Scah, habet in matrimonio; altera fratri eius defuncto Muradbagso erat nupta. Memoratus ille Siwezi primo obediebat Regi Bitsapur; post cuius decesum exiit obsequium, quod dedignaretur adolescentem extraneum, quem regina, Kutubscahi soror, non suppetente prole virili stirpis regiae adoptatum admoverat regno. Expugnatum nuper Castellum, quod in proximo Caniza civitatis est positum, Turcaeque Tsanak Kalesi (arcem ollae) appellant, trinocitii in hoc Imperio laetitiam praebuit. Quod reliquum est, Deum oro, ut Cels. Pot. Vestram Reipublicae et Ecclesiae bono semper florentem conservet.

Cels. Pot. Vestrae humillimus cliens.  
Levinus Warnerus.

Perae Constantinopoli. 25 Iulii 1664.

Iisdem. Hagam.

---

### XCIII.

Cels. et Pot. Domini, Domini mei Clementissimi.

Captum illud castellum, cuius 25 Iulii mentionem feci, occasionem praebuit Turcis, ut indies magnificentius de virtute sua, contemptius de armis Imperatoris Germanici sentiant: cuius minaces antehac datas ad Vezirum literas (quarum exemplar 16 Octobr. transmisi, nunc varie elu-

dentes, tumida illa verba aiunt, iam rebus se satis confutasse, probeque cognovisse, ferociam Germanorum in vocabulis, non in factis esse; magisque in conciliis eos quam in acie valere. Gloriarum quidem iam ante solebant Turcae, Christianos non inferre, sed arcere tantum aliquo modo bellum, nusquamque aequo campo congregari ad pugnam ausos, occasionibus potius, quam virtute niti: sed tamen intra valla conditos, moenibusque inclusos fortiter eos decertare haud inficiabantur. Quam conceptam de illis opinionem, nunc contrarii aliquot eventus labefactarunt; planeque dempsit memorati illius Castelli casus: quod licet fama magnum, (ut quod prima belli causa exstiterit) arte humana, naturalique situ esset munitissimum, et cuius fessi sauciique propugnatores recentibus semper validisque militibus integrarentur, potestati tamen Ottomanicae cesserit. Unde non dubitant exercitum suum ut numero semper superiorem, ita militum genere quoque esse meliorem; qui acrius pro dominatione, quam Christianus pugnet pro libertate. Qua virtute secundum Dei benignitatem freti, persuasum habent, imminere iam tempus, quo orbem Europae, quem affectant, quique a Muhammede sectatoribus suis sit promissus, sibi subiiciant; dum primo Hungaros, mox Germanos, post ut quisque proximus ab oppresso sit, omnes pervadant. Appulit huc nuper navis quaedam nomine Delphin, praeferens vexillum Anglicum, quae fabrefacta est in Belgio, ubi et oriundus est praefectus eius Sydreksen; qui ideo interrogatus, exhibuit hasce Regis Angliae literas: quas cum peritorum minimeque obnoxiorum affectibus virorum examini subiecissem, iudicatum ab omnibus fuit, ex more, ad hoc negotium pertinente, qui inter Principes Christianos obtineat, vexillum illud (quod impetratum erat facile apud Turcas) mutari legitime non posse. Quae interpretatio postea maiori cura imprimenda a me fuit Ottomanis, quod vaniloqui quidam hac usi occasione iactent, non solum propriis navibus Regem Angliae (quem caeterorum Europae Regum Coronam appellant) consternere maria, sed et peregrina navigia honoris sibi parandi causa, illius insignia usurpare. Similiter Smyrnam nuper cum gallico vexillo venit navis Belgica, (cuius gubernator item est Belga) sed quam mercatores, quorum interest, venditam nuper Gallis fuisse obtundunt; licet Consul aliique huic rei subesse fraudem, mutatumque esse vexillum iudicent ut vitentur nummi, quos Belgicae naves propter casum Aegyptiacum nunc tenentur solvere. Misi eum in finem severitatis plenum Edictum regium, quod Consul, omnibus probe examinatis, iustisque adhibitis cautionibus congruenter usui adhibeat. Caeterum necessitatibus pressus supplicare Cels. Pot. Vestrae sustinui, ut stipendium annuum, cuius mille imperiales fuerunt minuti, integrum, mihi, sicut antecessoribus, clementer decernant: quorum quidem tem-

pore si non ea fuit, quae iam est negotiationis copia, sed nec tam splendida, ut nunc dabantur munera; neque etiam invaluerant diversissimae praebitiones, inter quas sunt largitiones feriis Bairam exhiberi solitae; quae paucos ante annos coeptae, mox in consuetudinem verterunt. Tum quoque constat, multiplicata mercatura (licet iam longo tempore non aliunde quam sola Smyrna, cuius Consul paribus mecum reditibus fruitur, mihi ministrentur nummi) multiplicari curas meas ac labores, geminandosque esse ministros, quorum opera expediantur, quibus diversis in locis mercatores (cum quae alicuius momenti sunt negotia, hinc omnia eurentur) habent opus. Porro tripartita iam aula multo auctiores requirit impensas; quae adeo pertinaciter efflagitantur, ut ipsi magnates literis, vel ad id missis nuntiis, si quando differantur eas soleant deposcere; ideoque ne muneris pereat gratia, praeventenda plurimum sunt postulata. Quo modo cum nuper ad castra supremi Veziri aliquantum selectioris cinnamomi, et quaesitoris generis Moschatas misissem (quamvis eiusmodi dona hic in urbe degentibus non soleant offerri) actis gratiis, responsum fuit, disiunctissimos fluvios Gangem et Istrum me iis coniunxisse. Accedit etiam quod proceres Turcae sumptuum illorum, quos in gaudia publica impendant, quae ob reportatas victorias, alia super alia hic celebrantur, levamentum petere a Ministris publicis Christianis didicerint. Nec parum augentur eiusmodi erogationes, quod optimates Constantinopolis, inter quos ipsi Regis Vezirique vicarii, reparantes absumpta incendio aedificia, non desinant requirere, quae ornandis poliendisque fabricis accommodata ex orbe Christiano huc advehuntur; quae dum ab aliis subministrantur, subterfugere non possum, nisi in odium, quod pro occasionibus est perniciosum, velim incurere, similia alia quotidie exedentia sunt varia, quae singula non perscribo, ne tam in causa mea quam Cels. Pot. Vestrae Clementia spem positam habere videar: qua eadem benignitate fretus, expensos in baptizando Legati Anglici filio quadringentos Imperiales mihi indulgendos esse spero. Quod reliquum est, Deum oro, ut Cels. Pot. Vestram Reipublicae et Ecclesiae bono semper florentem conservet.

Cels. Pot. Vestrae humillimus cliens  
Levinus Warnerus.

Perae Constantinopoli. 19 Augusti 1664.

Iisdem. Hagam.



## XCIV.

Cels. et Pot. Domini, Domini mei Clementissimi.

Cum nuperrimus rumor, memorabilem aliquam partam Turcis victoriam vulgasset, propter quam septem dierum gaudia fuerant indicta, quae et per biduum iam celebrari coeperant Adrianopoli; de improvise repentini alii trepidique supervenientes nuntii, Christianos illis atrocem fecisse stragem, indubiae fidei literis docent. Unde statim disiecto laetitiae apparatu, qui hilaritati erant dandi dies, in novum conversi fuerunt luctum; cum nondum eluxissent, ob acceptam ante in vicinia Oiwari cladem; e qua Valachiae administrator cum solis triginta, Bugdaniae rector cum quindecim militibus evasit. Post hanc ruinam prope fuit, ut in perniciosam Veziro seditionem exarderent bellatores, quorum ubique exauditi fuerunt fremitus; patrem eius domesticis ante caedibus, spectatos quosque milites absumpsisse; a filio nunc, tradito per successionem odio, hostili se crudelitati iugulandos temeriter obiici. Nec praeliatores tantum seditiosas hasce iactant voces, sed multi quoque Magnates inconsultam eius iram accusant; et quoniam consilia, quae prima specie laeta, eventu fuerunt tristia, nunc praeclare antea gesta fortunae Imperii, adversa imprudentiae illius assignant. Quales criminationes cum minitari ei iam videantur periculum, cui, pro more, etiam involvuntur qui ab eo dependent interiores ministri (in quibus est Rector Adrianopolis) memoratam 25. Iul. itineris propositum differre cogor: quod hactenus quoque prolato in adventum Bassae Aegyptii, qui propediem creditur affuturus: Is enim nisi deliniatur, primas suas accusatorias literas et ipse tuebitur ratas, stimulabuntque magis adversarii, ne derogari iis fidem patiatur. Cuius quidem Bassae maior nunc habenda est ratio, quod post indignationem Regis, quam propter peculatus suspicionem et quod privatos sumptus insuisset publicis, contraxerat, interiori eiusdem se insinuarit gratiae, quam magna impensarum vi fuit promeritus, dum non solum augustissimis donis Regem coluit, sed et suis impendiis tria militum millia in usum belli Germanici sustentaturum promisit; quod facile praestiturus creditur, cum satis constet, triennio eum quo prae-fuit Aegypto, 2000000 Daleros coacervasse. Praeterea ad purgandum perfidiae crimen quod praefecto navis obiiciebatur, astruendamque certis documentis eius innocentiam, advocavi praeteritis diebus reduces aliquot peregrinatores, qui religionis causa iter Meccam instituentes, una cum navi illa discesserant Cayrum. Ii praesente iudice, testimoniis, quae publicis consignata scriptis, suo tempore erunt usui, firmarunt, nomi-



natum Capitaneum pro salute Muslimanorum depugnasse; (cum obuius quidam pirata optionem dedisset, ut vel omnes Turcas, eorumque facultates traderet, vel intorquendos a se expectaret tormentorum ictus) adeoque repulsa piratica violentia extitisse causam, ut Muhammedani numero ferme trecenti evaserint incolumes, pecuniaque illorum, cuius ingens vis erat, intacta Bohurum, portum Ægypti fuerit deportata. Quod reliquum est, Deum oro, ut Cels. Pot. Vestram Reipublicae et Ecclesiae bono semper florentem conservet.

Cels. Pot Vestrae humillimus cliens  
Levinus Warnerus.

Perae Constantinopoli. 19 Septembris, 1664.

Iisdem. Hagam.

---

XCV.

Cels. et Pot. Domini, Domini mei Clementissimi.

Nudius tertius misit ad me Rector Constantinopolis significatum, esse cum Germanis compositam pacem. Quae nova iam biduo ante sparsa per urbem adeo Turcis incredibilia videbantur, ut non pro vanis modo, sed vix pro sanis nuntii audirentur. Verebantur enim omnes, maiora ausurum Imperatorem Germanum (tantum abest ut cessuram eum suspicarentur tot castellis, quae ante fuerunt erepta) postquam copias Ottomannos duobus praeliis fudisset, timebanturque maxime imminetia frigora, hyemis praeteritae memoria, qua, cum parva Hungarorum, Croatorumque manus longe lateque obvia quaevis stravisset ussissetque, incumbens nunc tam numerosus exercitus quid praestare posset, non habebatur obscurum. Consicii praeterea sibi erant Ottomannos hac tempestate impetu magis quam perseverantia gerere bella, militesque egentissimos aversari militiam, paucos voluntate, plures coacte illam sequi; quibus aequae fames quam hostis esset gravis. Ob has et istiusmodi alias causas, quidam supposititium hunc esse rumorem imaginantur, quo perniciosae Imperio famae occurreretur, quae de adversis Turcarum praeliis per diversas gentes emanasset. Nemo tamen inter aulicos reperitur, qui dubitandum de renovata hac amicitia putet, quae variis nuntiis ab ipso Veziro fuerit renuntiata. Conditiones autem, quibus

firmata pactio sit, seu ignorantur hactenus, seu incertae sunt fidei: neque enim vel ipsi Magnates Turcae satis credendum existimant, missis privatorum quorundam e castris literis, quae speciosam Ottomanis hanc esse pacem praeferentes, petitam eam commemorant a Germanis in triginta annos, sed concessam in viginti fuisse: expressumque ut Imperator pactam olim pecuniam, cuius pensio per triginta annos intermissa, nunc integram solvat; et e singulis Transylvaniae castellis praesidia sua deducat. Scribunt insuper alii, postulari ab Imperatore, ut transitum ad Venetos praebeat; quibus infestior nunc esse creditur, quod destituerint promissa, quibus solito acrius lacessitum se, durante hoc bello germanico, Turcas, firmasse dicuntur. Quod reliquum est, Deum oro, ut Cels. Pot. Vestram Reipublicae et Ecclesiae bono semper florentem conservet.

Cels. Pot. Vestrae humillimus cliens.  
Levinus Warnerus.

Perae Constantinopoli. 17 Octobris 1664.

Iisdem. Hagam.

---

XCVI.

Cels. et Pot. Domini, Domini mei Clementissimi

Publica nunc et privata sunt inter Turcas gaudia, propter compositam cum Germanis pacem: qua adeo recreatus fuit Rex, tantamque inde intimi eius Ministri perceperunt laetitiam, ut qui primus nova illa pertulerit Adrianopolin, 50000 Daleris (conferente magnam eorum partem Regina) fuerit donatus. Diu enim esse trahendum illud bellum erat opinio: cum summa ope crederent adniscurum Imperatorem, ut adempta superioribus annis recuperaret castella: quibus conatis iam rerum conditio videretur favere; quia validissimi multi milites Ottomani caesi essent; alii ex pavore nondum recollegissent animos; ipseque Vezirus ultimo incepto percussus segnior ad alia factus esset molimina. Ad haec magnopere timebantur graviore in Anatolia seditiones, quae statim cognita infaelici Turcarum pugna, exardere coepissent, praebente se duce Bassa Mesopotamiae. Praeterea iniiciebat curam, Primores Aegypti? postulasse magis quam rogasse, ne in posterum imponerentur sibi Bassae, quorum imperium experirentur intolerabile quia plerunque

feroces, semper imperiti, noscendisque prius quam agendis rebus imbuendi essent, qui hinc mitterentur: non tamen recusare se denunciarunt, quin pensionem annuam iusto tempore receptoque more persolverent. Angebat insuper, quod Rex Tatariae, ut fama est, significasset, gravescentibus propriis malis, minutisque subsidiis, mittere amplius se auxilia non posse; quod multis ipse lacesseretur hostibus; inter quos praecipui urgerent Kalmuci, qui nuper iuncti Cosacis, obsederunt Asacum, oppidum ponticum; quod, affirmantibus ipsis Turcis, prope erat ut caperetur, nisi advolassent Tataři, raptoque agmine accurrissent confermini milites: qui praelio quidem, quod commissum atrocissimum fuit, superiores extiterunt; sed magnus illorum numerus est caesus, sauciatus quoque lethaliter Bassa Kafe, qui triduo post expiravit. Quae omnia considerantes Turcae, satis credunt, pacem illam saluti fuisse Imperio; qua eadem quoque effectum iri existimant, ut Galliarum Rex (cuius cum Imperatore Germano aemulationem non ignorant) intentatum Africanis bellum vel intermittat, vel tractet segnius. Posthac convertenda arma (sicut e castris scribitur) adversus Venetos erunt; petendaque primo castella Cataro et Scebenico; quamvis militiam illam obiri a se negligentius profiteantur; quia nullum inde Imperio periculum, exerceanturque ea magis quam fatigentur milites. Unum hoc solum suspectam apud quosdam reddit pacem, quod Valachiae Princeps, sollicitatus, ut aiunt, ab Imperatore, nuper cum delectis aliquot militibus transfugerit ad Hungaros; unde imaginantur Germanos memores versutiarum, quibus ante sint petiti, dolum illum simili pensaturos dolo. Neque enim inficiantur cordatiores Turcae, capto Varadino, contra signati tum foederis fidem potiore utilis curam, quam honesti fuisse habitam; multasque occupatas terras, quibus datum iusiurandum abstinendum esse sanciverat. Et plane fatentur, superiori anno quo expugnabatur Oiwar, astu magis quam vi superatum fuisse hostem, quando improvisum eum et incautum oppresserint. Quod reliquum est, Deum oro, ut Cels. Pot. Vestram Reipublicae et Ecclesiae bono semper florentem conservet.

Cels. Pot. Vestrae humillimus cliens  
Levinus Warnerus.

Perae Constantinopoli. 22 Novembris, 1664.

Lisdem. Hagam.

Cels. et Pot. Domini, Domini mei Clementissimi.

Post reconciliatam cum Germanis pacem, crebri nunc milites revertuntur, squalidi omnes ac egentes, mireque adversis perculsi praeliis: satis tamen gratantes fortunae, quod ex naufragiis tantae cladis emererint, tot aliis commilitonibus caesis et captis. Inter quos captivos sunt spectatissimi aliquot viri, de quorum redemptione tractaturus est, qui Vienam nunc expeditur Legatus, nomine Kara Muhammed, privatae ante conditionis homo, sed cuius opes privatam modum excedunt; eaque potius de causa (quamvis et par sit rebus agendis) demandatum ei prae aliis hoc officium fuit, ut parceretur impensis publicis. Cum vero ex more mitti ad Imperatorem non soleat Legatus, nisi qui Bassae insignitus sit titulo, quem efficiunt cohonestantque insignia regia; quae primariis Bassis tria, secundis duo conceduntur, ipse uno tali honoris insigni (Tug est nomen) donatus a Rege fuit, reliqua mercatus est quadraginta mille Daleris. Varia autem et splendidissima per eum offerenda parantur munera: quorum impensior nunc, quam aliis temporibus agitur cura, quod Turcarum, sicut multi ex illis fatentur, devinxerit animos Imperator, cum postquam vicerit, et vincere amplius potuerit, libens tamen elegerit pacem. Ad adornanda illa dona, peritiores hinc artifices evocantur Adrianopolin; ubi, contra primam famam, (quae saepe hic, pro mutatione consiliorum variat) excipiendus esse creditur Legatus Germanus, quod apparatus illi ac ornamenta, quae, visente Regem aliquo Legato, exponi solent in basilica Constantinopolis, illuc fuerint deportata. Nuperrime huc venit Gallus quidam cum Literis Regis ad Vezirum (quibus sicut interpret illarum Turca mihi affirmavit) summatim accusantur Africani piratae, excusatoraque redduntur Gallorum contra eos molimina; tum mittendo huc Legato praeparatur via. Tabellarius ille ut celerius securiusque perficeret institutum iter, petiit ab urbis huius praeside mandatum, cuius autoritate dispositis per viam cursoriis equis posset uti: quod primo fuit negatum, obtendentibus praecipuis aulicis, se eiusmodi desiderio non posse gratificari, metu Veziri; qui Gallorum superioribus annis contra Cretam conatus nondum dedisset oblivioni; et nunc ipse aspexisset auxiliares illorum missas Germanis copias; obversarentur quoque animo mota nuper adversus Africanos arma; quae tolerabiliora fuissent, si sumpta contra piratas forent, et non vis, capto aliquo castello, allata terrae Ottomanicae, repugnante foedere, fuisset. Postea tamen petitioni assensum, intercedentibus pri-



moribus aliquot Turcis; qui ipsi placidum etiam pacificumque Veziri responsum praesumunt, dicentes eum magis quid indulgentia Imperii dignum sit, quam quod iure fieri deberet consideraturum. Caeterum variis iam interpretamentis materiem praebebat fulgens per quinquaginta dies cometa, cuius cauda primo ortus tempore in Occidentem, post in Orientem coepit verti. Tristiora inde caelestium periti praesagiunt, quod ex rerum Orientalium scriptoribus compertas habeant calamitates, quae flagrante tali stella orbi fuerint illatae. Norunt enim, anno Hegirae 662, cum in regionibus Turcistan, Chuten, Kazger, Fergane, Mawaranaher et Chorasano conspectus per 85 dies fuisset cometa, mox exercituum clades, direptiones urbium, regnorumque mutationes esse insectas, Constat quoque post annum 803, quo vergens ad Occidentem arsit simile sidus, Tamurlanum expeditionem bellicam Ottomannis aeternum luctuosam suscepisse; et deinde aliquot annis Imperium et saevitiam continuasse. Tum in recentiori est memoria anno millesimo vice-simo sexto, quando incubans Constantinopoli oriebatur cometa, mortuum esse Sultan Ahmed, dein occisum Osmannum; bis admotum Regno, totiesque amotum Mustafa: et succedente Rege Murad, gravissimas exarsisse seditiones, quae anno millesimo quadragesimo secundo demum deflagrarint. Post profugum Valachiae Principem, praepositus ei nuper fuit rector novus nomine Stridari, id est Ostrearius; quod pater eius vendendis ostreis sustentaret vitam. Quod reliquum est, Deum oro, ut Cels. Pot. Vestram Reipublicae et Ecclesiae bono semper florentem conservet.

Cels. Pot. Vestrae humillimus cliens  
Levinus Warnerus.

Perae Constantinopoli. 23 Ianuarii 1665.

Iisdem. Hagam.

---

XCVIII.

Cels. et Pot. Domini, Domini mei Clementissimi.

Superiori tertio Februarii, bina Cels. Pot. Vestrae Mandata accepi; quorum unum 23 Octobr., secundum 5 Decembr. erat signatum; cuius exscripta exemplaria insequente statim die Smyrnam (ubi morari adhuc dicuntur bellicae naves cum onerariis) et Halepum misi, cum pernicious nuntiis: mittamque hac hebdomade Spahanum via Bagdadi; (quam celeres



cursores equis vecti saepe hinc quindecim diebus emetiuntur) et Basram, unde curabuntur in Indiam, quo et 21 Iulii inclusam hanc chartam expedivi. Quod altero Decreto de redimendis captivis iubetur, iam diu ante mihi fuit cordi; sed eventus votis hactenus non respondit: Iterumque nuperrimo mense spem illam tentavi per magnum anicum, et praecipuae autoritatis virum. qui hoc anno votorum solvendorum causa Meccam proficiscenti Turbae praefectus dona regia quotannis hinc conferri solita, magno paratu ac pompa illuc deportat. Is novissime, graviter decumbente filio, cum mitti auspiciis meis medicum aliquem petiisset, redditaque eius remediis fuisset sanitas sancte promiserat, quibuscunque officiis possit, gratam semper se voluntatem demonstraturum. Igitur hoc casu requirendum ab ipso putabam, ut Adrianopoli, quo ante discessum suum excurrere necesse habebat, vindicandis in libertatem captivis illis commodaret operam; isque libenter desiderio assensus, diligenter quoque negotium illud apud memoratae urbis Praesidem tractavit; sed qui id nullo modo sui esse arbitrii, instareque insuper sibi, si consentiret, a Veziro periculum respondit; qui hoc resciscens (quia clam haberi non posset) crediturus esset, rem eam, intercedente munerum magnitudine fuisse gestam. Continuabitur tamen deinceps inceptum; sed insidiandum erit occasionibus; cum non tam causa et aequitas (ut nunc sunt tempora) quam indulgentia et favor benigni alicuius Veziri in hac re sit auxiliaturus. Humiliter ergo precor Cels. Pot. Vestram, ne fide habendum dignum existimet, quod supplices pro captivis illis literae obiciunt; tanquam responsum querelis eorum a me fuerit datum: Mercaturae non autem redimendorum captivorum causa, me degere Constantinopoli: Ego vero haec duo, cum minime inter se pugnent, nunquam segreganda putavi. Documento sunt diversi Belgae, quos variis temporibus, vel integris meis impensis, tum ducentis, tum trecentis Daleris; vel magna impensarum parte collata, liberatos e captivitate remisi in patriam: inter quos inventi fuerunt, qui reversi ad penates, refundere voluerunt nummos; quos abnui, ne praestitae charitatis gratia perderetur. Nec Belgae solum, sed nonnulli etiam alienigenae, Itali, Germani, Poloni testantur, opera mea et sumptibus servituti Turcae se fuisse exemptos: qua de causa scriptae ad me fuerunt literae. quae hic iunguntur. Iam vero memoratos illos captivos Belgas fovere non desino; dum statis temporibus subsidium illis pecuniarium mitto, quia exire in publicum non habent fas; aliosque quibus frequentare aedes licet, et per vices, singulis diebus ventitant, nunquam inanes dimitto. Latorem illum literarum Gallum, cuius 23 Ianuar. feci mentionem, graviter increpuit rector Adrianopolis Veziri vicarius; accusans inter alia Gallorum perfidiam, et nominatim arguens fraudulenter ab ipsis,

(quod postea turpiter amisissent) captum fuisse Castellum Gigeri: Eoque processit irae, ut diceret ducentas se, Veziri si uteretur potestate cuius praesenti Gallo impositurum plagas, post remissurum, unde ventum esset; Addidit quoque (sicut interpret Anglus, qui colloquio adfuit, huc nunciavit; venturo inde novo Legato haud negatum iri accessum, sed tractandum fore, prout simulata amicitia mereretur. Ita constitutis aliquandiu hic Gallorum rebus, saepe eorum causae, quoad fieri posset adfui: et nuper quidam ex illis praestitam a me operam, praesentibus hisce publice fuit fassus. Quod reliquum est, Deum oro, ut Cels. Pot. Vestram Reipublicae et Ecclesiae bono semper florentem conservet.

Cels. Pot. Vestrae humillimus cliens  
Levinus Warnerus.

Perae Constantinopoli. 12 Februar. 1665.

Iisdem. Hagam.

---

XCIX.

Cels. et Pot. Domini, Domini mei Clementissimi.

Jam diu hic omnia sunt tranquilla: foris quoque nemo est, qui terreat. Expeditae tamen in Pontum duodecim triremes fuere; quibus arceantur, si qui forte erumpant latrocinia magis quam bella facientes Cosaci. Mari mediterraneo etiam in praesens 20. triremium immissa est classis; quae postea augebitur a praefectis illis, quibus orarum maritimarum demandata est cura. In Cretam quoque 2000 ex hoc loco curati fuerunt milites; qui intra breve tempus, secundis ventis, inoffense illuc pervenerunt. Praeterea pars exercitus, quem adversus Germanos antehac duxerat Vezirus, nunc succingitur contra Dalmatiam; ipse vero iam Vezirus movet Belgrado, perrecturus Adrianopolin; indeque ut conii-ciunt multi, et sperant plures, Regem comitaturus est Constantino-polin: quamvis ea urbs iam fere ominosa habeatur, propter seditiones quae facili negotio in illa solent excitari, quibusque varia nunc videtur parata exstare materia: et creduntur illarum praenuncii esse cometae, qui, intra pauculos menses, alii super alios, terni fuerunt conspecti, de quorum praesagio rogatus nuper magnae autoritatis et doctrinae inprimisque caelestium peritus aliquis Turca, respondit tremendas eos generi humano portendere calamitates, quarum et ipse futurus esset consors. Non diu post forte accidit, ut servus illius rixas sereret cum

aliquo Armeno; ventumque a verbis fuit ad verbera incussa Armeno durissima: quibus ille permotus cum querelas deferret ad Iudicem, patrocinareturque Dominus servo suo, res eo tandem processit, ut Iudex delectos mitteret homines, qui in vitam ac mores fatidici illius Turcae accuratius inquirerent. Tum vero reperti fuerunt, qui certatim testificarentur, eum perperam sentire de lege Muhammedica, cui saepe, multis audientibus, maledixisset. Quibus intellectis, Iudex eum protinus morti adiudicavit: circumductumque ante, ludibrii causa, per civitatem gladio necarunt, et in mare abiecerunt. Legatus Anglicus per secretarium suum, iunctas hasce mihi misit chartas, quas e sermone Anglico in idioma Italicum iussit verti, transfundique etiam curat in linguam Orientalem. Quod reliquum est, Deum oro, ut Cels. Pot. Vestram Reipublicae et Ecclesiae bono semper florentem conservet.

Cels. Pot. Vestrae humillimus cliens.  
Levinus Warnerus.

Perae Constantinopoli. 16 Maii. 1665.

Iisdem. Hagam.

---


---

Sero apparuit in epistolis numerandis levem errorem irrepsisse ; epistolae 86 Benevolus Lector locum assignet LXXXVIII, epistolae 87 item LXXXVI, epistolae 88 item LXXXVII.

---







~~~~~  
Lugd. Bat., Ex typographeo E. J. Brill.

DJ  
173  
W2A4  
1883

Warner, Levinus  
De rebus Turcicis


PLEASE DO NOT REMOVE  
CARDS OR SLIPS FROM THIS POCKET

---

UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARY

---

UTL AT DOWNSVIEW



D RANGE BAY SHLF POS ITEM C  
39 10 19 01 11 016 4